FRIDERICI JACOBSII LAUDATIO.

FRIDERICI JACOBSII LAUDATIO.

SCRIPSIT

E. F. WUESTEMANN.

GOTHÆ

TYPIS EXSCRIPSIT ET SUMPTUS FECIT OFFICINA STOLLBERGIANA

1848

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.

PROPERTIUS.

E. F. WUESTEMANN

S. P. D.

GODOFREDO BERNHARDY

VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO.

Quod exoptatissimo itineris, quod Basileam superiore anno una suscepturi eramus, socio *Te* cariturus eram, Vir optime mihique carissime *Bernhardy*, quum meum *Tui* præsentis desiderium eo levares, ut per aliquot saltem dies in villula mea *Te* mihi dares, inter alia, quæ de rebus ad litteras nostras pertinentibus inter nos confabulati sumus, sermonem meministi venire etiam in tristissimum Friderici Jacobsii, quem miro uterque amore et studio prosecuti eramus, obitum. Fruebamur tum recordatione sic, ut optimi hominis memoriam

summa cum voluptate usurparemus. Ipse quidem *Tu*, quum Gothanos amicos *Tuos*, Reisigii in ea quoque re non dissimilis, si quando per urbem nostram venires, revisere soleres, plus semel testis fueras jucundissimi illius convictus, quo qui optimis litteris hic operam damus juncti inter nos tenemur. Oculis *Tuis* videras satis familiariter et commode nos inter nos vivere et jure in nos cadere, quod Q. Cicero Marci filius, quum studiorum causa versaretur Athenis, in hac urbe se vidisse Tironi scribit, non sejunctum esse jocum a philologia; præ omnibus aliis autem summam cognoveras in Jacobsii consuetudine fuisse suavitatem et in domestico quoque usu non quicquam illo cogitari potuisse amabilius. Ita incitatus a *Te* ego, quem familiariter ab eo dilectum probatumque fuisse non ignorabas, plura, ut fit, enarrabam ex ejus vita, quæ *Tibi* tum quidem auditu videbantur non injucunda esse. Attentus inprimis sermoni meo vacabas, quum *Tibi*, quos ultimos cum eo habuissem

sermones, quæque extrema ab eo mandata accepissem, referrem. Hanc enim, quod scis, diligenter, ex quo tempore Jacobsii valetudo ita tentata fuerat, ut exeundi potestatem non haberet, servaveram consuetudinem, ut ter minimum in singulas hebdomades eum interviserem ejusque animum probabili sermone lenirem. Ac tum quidem amabilis homo omnes suos mihi, quem sui studiosissimum esse intelligeret, aperuit sensus ac multa prodidit ad prioris vitæ cursum pertinentia, quorum nullo unquam tempore ex animo effluet memoria. De his et ego haud invitus *Tibi* narrabam et *Te* non gravate me audire memini. Uterque autem, quod recordaris, et ego et *Tu* intimo animo commoti eramus, quum *Tibi* relaturus eram, qui ultimi fuissent ejus dies, quemque habuisset e vita dicessum. Itaque quæ tunc in sermone suppressi, nunc quum animus sedatior sit factus scribere *Tibi* conabor. Tristi igitur casu Jacobsio accidit, ut, quum nervorum remissione corpus plus semel infestatum esset, animi quoque vi-

res, quod in tanto ingenii vigore vix fieri posse sperabatur, in dies magis debilitari inciperent. Sic factum est, ut vanas aliquando imagines acciperet, iisque omnis mox addiceretur mens. Sæpe aliena loquebatur et in alienis locis versari sibi videbatur. Plerumque tamen, quod nonnullam in tanto malo habebat consolationem, jucundæ imagines fallebant; nam per nota sibi Peloponnesi loca vagabatur eorumque nobis prædicabat amœnitatem. Ubi mens per intervalla rediit, quum adversus omnia lassæ ætatis tædia non haberet senex, quod ageret, propinquis et amicis nobis curæ erat, ut tempus minus grave ei redderemus; ipsi enim, quod poteras videre, non cara in corpore erat mora, ipse cupiebat exire. Sed nihil acerbius quam illius temporis recordatio, quum ultimum mihi vale dixit. Quum paucis ante obitum diebus ad eum venissem, ac caput ægri molliore sede composuissem et fatigatum latus mutassem, gratias mihi agebat, non verbis quidem, quod tunc non valebat, at vultu, qui loque-

batur disertius quam verba; simul manum leniter prehendebat et genas mulcebat; aliquo tempore post, quum vires collegisset, vale, inquit, in æternum vale. Posthæc semel iterum pridie ante mortem vidi; quum paucos modo e suis novisset, ex familiaribus unum me, debili voce, quæ vix posset a proximis exaudiri, ah Wuestemanne! dixit. Hæc ultima ejus vox fuit, quam excepi potius quam audivi.

Sed mittamus tristiora, quæ, quod mutari non possunt, utcunque sunt a nobis ferenda. Revertor ad *Te* et ad ea quæ confabulati sumus. Flagitabas a me, ut ea quæ *Tibi* enarrassem de Jacobsio et si quæ alia haberem memoratu digna de hoc viro, cum aliis quoque communicarem; hoc enim in Jacobsio cerni felicitatis specimen, ut semper omnes scire cuperent, qualis fuisset ille. Addebas, quod Jacobsii causa vere dictum esse et jam tum putabam et nunc quoque puto, sed quod illo tempore ideo potissimum, ut ad scribendum me faceres ala-

criorem, a *Te* prolatum esse postmodum sensi, vel minima quæque in tanto homine jucunda esse atque habere aliquid gratiæ, quum legerentur. Non poteram ego *Tibi*, quod tam amanter atque benevole petebas, nisi parum urbanus vellem esse, denegare. Et accedebat ad *Tuam* auctoritatem ipsius Jacobsii voluntas, cui deesse religiosum erat. Sæpe enim cum alias, tum extremo vitæ tempore, quum de morte sua cogitabat, nec obscure quidem significaverat, se cupere, ut post obitum de se referrem. Promittebam igitur *Tibi* non cunctanter latinam, quam per muneris rationem in gymnasio illustri Gothano habueram, orationem propediem me esse in lucem editurum eaque opportunitate ita usurum, ut quædam quæ in dicendo non protulissem orationis filo intexerem. Nunc quod *Tuæ* auctoritati lubenter me obsecutum esse vides, æquissimum eundem *Te* mihi futurum esse arbitrum certus scio, nec de iis quæ ego periclitatus sum ex *Tuo* ingenio judicaturum.

Orationem, qua Friderico Jacobsio a me parentatum est in gymnasio, licet aliquo tempore post ipsas exequias id factum sit, latino nomine, quod *Te* minime fugit, dixi laudationem. Quod si qui tamen erunt, qui ad hodiernum usum deflectentes vocem de laudibus cogitent, quas Jacobsio impertire voluerim, non multum ii me repugnantem habebunt. Nam, ut ingenue fatear, equidem hunc hominem laudare magis cupivi, quam me potuisse sentio. Ac profecto ego in Friderico Jacobsio laudando, qui prope cunctis lucem ingenii et consilii porrigere atque tendere consuevit,

non valui tantum, qui fingere laudes
pro meritis ejus possem, qui talia nobis
pectore parta suo quæsitaque præmia liquit.

Quæ quum ita sint, huic laudationi maxime velim ex animo, si minus, gratiæ caussa suffrageris.

Ceterum hanc epistolam mei ipsius præcursorem habe. Mox enim in tanta itinerum conficiendorum, quæ per vaporum vim nostræ ætati est concessa,

et velocitate et commoditate, quum vel dissipatæ locis gentes facile misceantur et urbes urbibus, terræ terris admotæ sint, Halas ad *Te* volare mihi est in animo.

Tum hilares aliquot dies una transigamus et more solito de litteris nostris sermones seramus. Interim *Tu Tuos* meis meorumque verbis saluta. Fac valeas, quo nihil est, quod gratius mihi possis facere.

GOTHÆ, die 27 Octobr. 1848.

Quintum Metellum, Macedonici cognomine insignem, quum Scipionem Africanum, Romanæ reipublicæ lumen, exstinctum esse audisset, ad liberos conversum sic narrant dixisse, ite filii, inquit, celebrate exequias, nunquam civis majoris funus videbitis. Quam præclaram Romani illius vocem quis vestrum est, AA., quin intelligat optimo jure a nobis transferri posse in eum virum, cujus honori hic est consecratus dies? Profecto nunquam majoris civis funus extulistis, neque posthac opinor unquam fore, ut efferatis. Nam non una vos, qui patrem lugetis carissimum, socerum optimum, amantissimum avum, mœrendi habetis causas; non soli nos, qui longo familiaritatis usu cum eo conjuncti fuimus, optimum hominem, amicum fidissimum nobis ereptum dolemus; non una urbs nostra, quam

civis splendore nominis sui illustravit, suum sibi decus sublatum esse queritur; in Friderico Jacobsio litteras ipsas omnesque bonas artes summam fecisse jacturam, quicunque animum habent ab optimarum artium studiis non alienum uno ore fatentur omnes. Neque si quis forte vestrum audierit aliquantum extrema ætate remisisse de pristina alacritate, solatium ea observatione contineri et minui desiderium viri existimabitis. Habent enim hoc magni viri proprium, etiamsi ex diutina contentione quieti se dederint et in gloria bene parta acquiescant, ut solo nomine suo ornent patriam, augeant rempublicam, ut vel exemplo suo ad virtutum suarum imitationem aliorum studia incendant. Sed quæ dolorem nostrum lenire queant et mitigare, duo alia et graviora nobis parata sunt solatia, quorum alterum quidem idem ille cujus desiderio movemur nobis præbet, alterum positum est in nobismet ipsis.

Cari enim hominis mors etsi nobis accidit luctuosa, in eam tamen cogitationem veniamus necesse est, non pessime cum ipso actum esse, qui miserrimis corporis vinculis liberatus hujusque vitæ malis exutus ad tranquillas et omnibus bonis refertas animarum sedes sit transvectus. Nos vero, quibus eum propius nosse uberrimosque fructus ex longo ejus usu percipere concessum fuit, quo diligentius reputamus cum animo, quantum nobis a deo fuerit

datum beneficium, hoc majus habemus solatium, quod tantum bonum tamdiu tenere nobis licuit. Hæc dum ante oculos nobis proponimus, tristissimum casum ita feremus, ut quem vivum summa pietate coluerimus, sublatum ex oculis non vulgari luctu prosequamur. Quamobrem quicquid dolorem ex ejus obitu susceptum resuscitare possit, ita ab hac Musarum sede volumus abesse, ut meritorum potius quibus vivus exsplenduit memoriam instauremus imitandique studium in vobis, juvenes carissimi, incendamus.

Sed quum de Friderici Jacobsii singularibus eximiisque in omnes litteras meritis dicere in animum induxi, quid illud sit, quod susceperim, minime equidem ignoro. Dicendum est enim de homine qui omnem fere humanarum litterarum ambitum, quousque illæ latissime patent, mente sua complexus est, in iisque ita elaboravit, ut in quocunque doctrinæ genere principatum obtinuerit; dicendum est de homine, qui singulari ac divina ingenii sui vi tot tantasque res ita est persecutus, ut quæ multis satis esset ex singulis laus ad nominis æternitatem, ea conjuncta in uno illo reperiatur: ut paucis dicam, ipsa litterarum penetralia nobis sunt adeunda, in quibus ita habitavit vir eximius, ut vel intimos recessus ac latebras cognitas habuerit. Magnum est, quod dixi; probe scio. Nunquam profecto, AA., magis sensi, quam hoc die, quantum ipsa ingenii te-

nuitas me destituat; nunquam clarius perspexi, quam procul absim ab ea doctrina, qua instructus esse debet is, qui perfecta eruditione viri imaginem dicendo velit effingere. Verum quicquid est, egregii hominis laudes ingenii culpa deterere malui, quam impietatis crimen subire in eum, cui tot ac tanta me debere beneficia lubens profiteor, quot et quanta vix alii cuiquam homini. Quamobrem si vobis, qui ipsi eruditionis laude floretis, dicendi facultatem doctrinæque copiam minus probavero, at voluntate saltem in defunctum studioque me vobis plene satisfacturum esse spero. Cui quam de me ipse feci promissioni si quid addere per vos licet, hoc in optatis me habere fateor, ut in vestros, juvenes carissimi, animos oratio mea permanet in iisque aculeos relinquat.

In hanc igitur cogitationem dum animum intendo, ut vobis potissimum, dilectissimi juvenes, in Friderico Jacobsio exemplar aliquod proponam, quod in optima studia incumbentes intueamini et ad cujus similitudinem vos conformare possitis, hac ratione et via mea procedet oratio, ut primum dicam de Jacobsii eruditionis ubertate et elegantia in omnesque litteras meritis, deinde ostendam ita similem illi doctrinæ omnem fuisse ejus vitam, ut quam in optimi cujusque mores vim habere debeant humanitatis studia, exemplo suo egregie comprobaverit.

Ac primum quidem dum dicere aggredior de iis quae Jacobsius in omni doctrinarum genere praestiterit, non quisquam est vestrum, AA., quin cognitum habeat, eum quum in plurimis litterarum studiis excelluisse, tum praecipuam quandam laudem adeptum esse ex diligentissima totius antiquitatis investigatione ejusque cognitione accuratissima.

Quam late autem pateat ejus disciplinæ, quam humanitatis studiorum nomine complectimur, ambitus, ante Fridericum Augustum Wolfium, immortalis memoriæ virum, pauci modo senserunt, declaravit nemo. Is quum primus totum hujus doctrinæ campum patefecisset, sequuti mox sunt alii, qui certos eidem fines terminosque sic constituerunt, ut vel ad artis normam eam revocarent. Quamobrem consentaneum arbitramur esse, ut horum potissimum auctoritatem sequamur, ubi ostendere velimus, Jacobsium nostrum ad ipsum artis fastigium pervenisse.

Primum dicamus de utriusque linguæ et Græcæ et Latinæ scientia. Hæc igitur quam insignis in eo fuerit, non est quod multis declaremus. Paucissimos homines repertum iri confidenter pronuntiamus, qui parem illarum linguarum cognitionem se habere gloriari vel possint vel audeant. Nimirum non est scriptor quisquam aut Græcus aut Romanus, ne infimæ quidem ætatis, quem ille non per-

scrutatus sit, legerit, excerpserit. Quam infinita pæne lectione fuerit, non levi illa, sed diligenti et accurata, quam incredibilem inde sibi paraverit antiquarum rerum scientiam, non diffusam illam et temerariam, sed plenam et ex ipsis fontibus haustam, plurimæ quas paravit veterum scriptorum editiones satis testantur. Hæc autem linguarum cognitio non solas spectabat singularum vocum notiones et originationes, quamquam peculiarem in his quoque eruendis posuit operam, quod plurimæ quibus Parisiensem Stephani editionem locupletavit accessiones probant, sed ad interiorem etiam quendam linguarum usum atque cognationem pertinebat, quod de Græcorum lingua egregia quam de ejus dialectis instituit disputatio ostendit. Enimvero si quando recte judicant docti homines eum exquisitissimum habere sermonis cujusdam usum, qui quum ipse aliquid fingat ejus promtam facilitatem atque elegantiam assecutus sit, cum Græcis Musis ita consuevit, ut carmina composuerit, quæ Græcum aliquem scriptorem prodere videantur: cujus artis tanta fuit in eo facultas, ut interdum cum magna voluptate nostra ea ex tempore funderet; latine autem quam doctus fuerit, scribendi genus satis declarat, purum, emendatum, verborum delectu et nativa quadam Romani oris elegantia commendatum, nitidum sine labore, quas dicendi virtutes vel maxime probavit, ubi quod difficilli-

mum jure habetur res tractat, quæ veteribus incognitæ latinæ linguæ scientissimum hominem postulant. Quodsi vero aliquando inventi sunt, qui unum alterumve vocabulum, tanquam non recte ab eo usurpatum, aut novo modo dictum notandum censuerint, ii secum reputent velim, non singula verba facere artificem scribendi, sed verborum compositionem, orationis sententiis congruæ habitum coloremque Romanum. Quibus virtutibus si recte censetur dictionis præstantia, ab iis commendari quæ latine scripserit Jacobsius, jure contendere nobis videmur.

Ad aliam disciplinam accedimus. Criticam artem inde ex renatis litteris post unum Bentlejum quis felicius tractavit Friderico Jacobsio? num quis reperitur totius antiquitatis scriptor, cui non salutarem attulerit opem? num quis alius criticus tot locorum, qui pro desperatis habebantur, protulit emendationes, quarum veritatem mox evicit aut summorum hominum qui in easdem inciderunt auctoritas aut codicum qui postea collati sunt consensus? Ac sponte ei subnascebantur pulcherrimæ emendationes, quæ tam parva opera constabant, ut, quod Bentlejo constat evenisse usu, scribendi tædium sæpe vinceret emendandi laborem. Plus semel tam præsentis sanationis, quum de desperatis locis eum consulerem, ipse fui testis: adeo non longo aut difficili opus erat nixu, sed facillimo partu Ja-

cobsius effundebat. Quod tam facile ac prospere ei succedebat res, hoc debebat præter reconditam doctrinam, qua plerumque ad ipsos locorum fontes ducebatur, ingenii felicitati cuidam, quæ statim ad verum inveniendum adducit eos, quibus benignior natura eam facultatem concessit. Huc accedebat frequens ac longus plurimorum codicum manu scriptorum usus, per quem edoctus erat errores, quibus librarii implicari solent, qui quidem usus sæpe promtissimas medendi vias ac rationes ostendebat. Nam vel ex hoc fonte, velut ex prava syllabarum conjunctione aut diremtione aut ex vocabulis temere vel omissis vel repetitis eum constat plurimis veterum scripta mendis liberasse. Et ex hujus quidem rei accurata notitia quum plurimum utilitatis redundare in scriptores emendandos probe intellexisset, nuperrime occupatus erat in libro de arte critica cum universa, tum de conjecturali singulatim conscribendo. Cujus specimen, quod anno MDCCCXL philologos Gotham congressos salutandi causa evulgavit, quum plurimorum desiderium totius operis movisset, dolendum sane est ingravescentis senectutis imbecillitate eum impeditum fuisse, quominus propositum exsequeretur. Ceterum his ingenii lusibus, quo nomine appellare solebat conjecturas suas, adeo non multum tribuebat, ut se non intelligere sæpius fateretur, quid esset, quod de iis, de levissima sci-

licet re, vir prudens et gravis cum aliis digladiaretur, nec unquam moleste ferret, si quis alius inventionis laudem vel in verissima emendatione præripuisset. Quum ei narrarem fuisse communem nostrum amicum, egregium hominem et insignem in arte critica, qui, quum Jenæ versaretur, simulatque eximiam quandam emendationem sibi visus esset fecisse, vel media nocte tuba signum dedisset, quo vicinos de invento suo certiores faceret, ego vero, inquit, non est quod idcirco quempiam velim excitare, modo ne alii mihi bellum indicant. Scilicet fuit aliquando tempus, quum indignabatur, quod exstitisset stomachosior aliquis homo, qui conjecturam aliquam in Theocrito a se factam viro summo Valckenario a se sublectam esse argueret. De qua re quum vix opus videretur, ut apud alios se purgaret, abunde tamen id fecit in epistola ad Augustum Meinekium, quæ lectionibus Stobensibus est præmissa, ubi simul id egregie egit, ut Meinekium a suspicione turpissimi furti, cujus eum ab Anglis quibusdam insimulatum esse indignabatur, defenderet. Alii igitur habebunt, quod satis mirari non possint, si Jacobsium audient aliquando, quum veteres scriptores eo consilio legere constituisset, ut ea potissimum adverteret atque investigaret, quæ ad judicium de moribus Græcorum recte faciendum conferrent, omnibus quæ ad criticam artem factitandam

spectarent sepositis, ne ulla unquam redeundi ad illius studium foret sollicitatio, plurima quæ haberet ex eo genere per longum tempus collecta inter amicos quosdam suos divisisse; nos qui Jacobsium propius novimus rem habemus minime miram, iidemque facti nunquam eum pœnituisse compertum habemus. Ipse aliquando quum ejusmodi munus ab eo accepissem, ejusque liberalitatem prædicarem adderemque pauperis quidem esse numerare pecus, ipsum ex abundante penu donare, noli, inquit, divitias meas jactare; habes blattarum escam vel Vulcani prædam. Semel modo memini, quum ad eum venissem recentem a felicissimo quodam invento, haud mediocrem eum ex illo invento percepisse voluptatem; statim intranti deferebat gaudium; mox uterque jocabamur, ut fit: ego vero perspecta emendationis veritate justam ut mihi persuasum erat laudem impertiebam; tum ridens, recte ais, inquit, quod me laudas; imo regem prædica. Scito enim conjecturas facere regium esse munus; plura quærenti simul narrabat regem Euergeten II criticis præisse exemplo, qui conjecturam fecerit in Odyssea. Alias serio, sed hoc quoque non plus quam semel, quum in sermone familiari Frid. Aug. Wolfii facta esset mentio, quod suæ aliquot emendationes tanti viri assensum tulissent — divinum enim vatem nominaverat Jacobsium — id sibi honorificum visum esse

narrabat. Eandem rem quum justissimam causam haberet, cur referret in libello supra jam a nobis commemorato, lectores tamen rogavit, ne vanæ id gloriationi tribuerent crederentque seni, qui quovis tempore per juvenilem etiam fervorem ab arrogantia abhorruisset, se etiam ab aliis laudatum erubescere.

In ea autem criticæ artis parte, quam altiorem vulgo vocant, cujus hoc est, ut genuina a suppositis secernantur, ut disquiratur de iteratis operum quorundam ab ipsis auctoribus institutis recensionibus, ut confusio vel perturbatio si qua singulis in partibus libri acciderit demonstretur, additis errorum causis, in hac igitur criticæ artis parte quid præstare posset, id ostendit, ut de disquisitione taceam, qua de ætate Argonauticorum agitur, et de judicio, quod proposuit de prologo Danaes, qui pro Euripideo vendebatur, egregia commentatione, qua suppositum aliquod Philodemo epigramma in disquisitionem vocavit. Hanc quidem, quod singula judicandi momenta summo acumine ponderata ac singulari doctrina exposita sunt, eruditissimis viris ita probatam esse constat, ut juvenibus qui in hoc studiorum genere aliquid elaboraturi sint pro ejusmodi disquisitionis exemplo commendari soleat. Sed in maxima qua pollebat sagacitate procul aberat a ridicula fere eorum jactantia, qui in singulis etiam versibus aut

hemistichiis adeo furtum aut fraudem statim se deprehendere posse gloriantur. Hos jure ridebat ac Wolfio pæne succensebat, qui sibi a pari vitio non satis cavere potuisset eumque justas audaciæ pœnas dedisse addebat, quod in jocularem illum de Ciceronis quadam epistola errorem incidisset.

Pergimus jam ad id, ut ostendamus, quomodo interpretis munere sit functus. Qua in re quum multi illa ætate existerent, qui certam quam sequerentur rationem se nescire faterentur, ipse et præceptis docuit et exemplo monstravit, quæ esset via ineunda. Scilicet omnem rectam veterum scriptorum interpretationem a grammatica expositione proficisci, eamque accurata linguæ cognitione niti debere statuebat, qua qui destituti essent, eos incerto itinere huc illuc errare. Sed idem jure reprehendebat eos qui in grammatices studio subsisterent ac rerum copiam præterirent, tanquam grammatico nihil ultra verborum explicationem liceret noscere. Illos similes sibi videri ajebat operariis, qui agris sentes exciderent, vepres evellerent, lapides effoderent, terram colerent; neminem quidem horum diligentiam contemnere aut reprehendere; at eosdem esse irridendos, si feliciores se illis existimarent, qui fruges ex his agris colligerent in communemque aliorum usum afferrent. Itaque sic censebat, ei, qui in veterum scripto-

rum explicatione vellet aliquid consequi, quicquid ad historiam vel ad ritus et mores gentium vel ad priscam sapientiam pertineret, paratum esse debere. Hunc finem qui aliis proponebat ipse putandus est consecutus esse. Nulla profecto erat antiquitatis pars, in qua non habitaret. Sic ut de una nunc antiquitatis disciplina ea dicam, quæ ad artis monumenta spectat, cum doctis etiam et intelligentibus harum rerum existimatoribus certabat. Ut oculorum judicium acueret et elegantiæ sensum excitaret, similis Hemsterhusio Ruhnkeniano, jam puer in discendam picturam linearem operam contulit, eamque vel juvenis non raro et, quod idonei affirmant arbitri, non sine successu factitabat. Et hac artis, in qua normam de artificum subtilitate et diligentia judicandi inesse intelligebat, cognitione se plurimum adjutum esse narrabat, quum ad veterum artis studium se applicaret.

Videtis, AA., multa requiri in eo, qui ad justam et plenam antiquarum rerum cognitionis laudem, qua Jacobsius conspicuum se præbuit, velit adspirare. Sed ipse in hoc uno non acquiescens majora etiam spectanda esse censebat. Nam antiquitatem omnis vitæ magistram ac ducem esse voluit; veteribus plurima invenienda, tentanda fuisse, eadem nobis discenda modo ac cognoscenda. Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxisse antiquitatem, ut, modo

eam ducem sequeremur, possit videri nulla sorte nascendi ætas felicior quam nostra, cui docendæ priores elaboravissent. Sed omnem illorum præceptorum ut perciperemus vim, interiorem nobis veterum populorum esse parandam cognitionem. Per hanc autem non solum animos nostros generoso antiquitatis sensu, ex purissimis nobilissimorum scriptorum fontibus hausto, imbui, sed ad omnem vitæ sapientiam et elegantiam nos institui. Et hunc unum esse hujus studii fructum liberali homine dignissimum. Sæpius meminerat homines doctos, sed eleganti doctrina instructos, et qui non magis scholæ, quam vitæ didicissent, sic conqueri, quum dicerent nulla alia de causa Græcas et Latinas litteras contemni, quam per obscuram multorum qui eas profiterentur diligentiam. Horum justam sibi videri ajebat querelam ac singulis nobis pro suis cuique viribus enitendum esse, ut ei occurreretur. Jacobsio autem et paucis qui ejus similes fuerunt ea debetur laus, ut veteres Musas, quæ jam fugam parare videbantur ex nostra patria, reduxerit eisque nova quasi templa apud nos dedicaverit.

Nolite mirari, AA., quid sit, quod Jacobsium præ aliis dixi non solum prudenter de antiquitatis studiis sensisse, sed hoc judicium etiam aliis probavisse ejusque veritatem persuasisse. Scilicet unus erat ex paucissimis, qui raris-

simo temperamento cum totius antiquitatis cognitione recentiorum subtilitatem atque elegantiam miscere didicerunt. Obstupescetis, juvenes carissimi, ad ea quæ jam dicturus sum. Jacobsius pari diligentia et successu, quo veterum scripta tractavit, in recentiorum populorum litteris versatus est. Novitiarum linguarum usque adeo erat sciens, ut et Gallico et Anglico et Italico sermone commodissime uteretur. Ut in hoc uno acquiescam, frequentissimum erat per plures annos epistolarum commercium inter ipsum et nobilissimam feminam Gallicam ac tanta erat litterarum crebritas, ut earum ne unius quidem diei intervallum esset, imo ut sæpe plures ac longiores singulis diebus ad eam mitteret. Hæ ut ab eo fundebantur, ita erant elegantissime scriptæ. Etiam Augusto duci in epistolis ad Gallos mittendis operam præstitisse ac principi Gallice doctissimo penitus satis fecisse compertum habemus.

Quam orationis facultatem in patrio sermone habuerit, ex eorum qui me audiunt corona neminem futurum esse credo, qui a me doceri velit; adeo patet res omnibus, qui a politiori elegantia non prorsus abhorrent, vel feminis atque pueris. Sed non temere tamen fit, ut in hoc ipso consessu de hac re quædam mihi dicenda videantur. Nimirum non desunt nostra ætate, qui quum animo sint ab humanitatis studiis alieno aut eorum odio quodam ducantur, non

alia quidem de causa, nisi quod in pudenda eorum ignoratione versantur, juvenibus dissuadeant plurimum operæ collocare in latini sermonis usu elegantiore sibi comparando, dictitantes, eos qui hoc in genere præstent ita hoc consecutos esse, ut tamen a patrii sermonis elegantia abfuerint. O obcæcatos homines! Animum advertite, quæso, ad Fridericum Jacobsium nostrum. Hunc nemo est quin dicat, quum utrasque veterum linguas probe nosse, tum latine etiam eleganter scripsisse. At eundem in iis quoque quæ Germanice composuit cum principibus in ea arte hominibus comparandum esse una et consentiens omnium est vox.

Ut nihil dicam de veterum libris, qui sic ab eo sunt in nostrum sermonem versi, ut vetustis novitatem dederit et qui Græcum aut Romanum aliquem auctorem habeant, Germanice videantur esse confecti, quandocunque ipse aliquid finxit, nihil interest num graviorem aliquam rem tractaverit, an fabulam Romanensem in manu habuerit — nam in hoc quoque genere eum periclitatum esse constat, — ea est elocutionis vis ac dictionis elegantia, ut qui juvenum orationem ad recta exempla velint fingere, Jacobsii scripta præ aliis ad imitandum proponant. Non meum vobis propono judicium, sed eorum qui omnium consensu recta sapere putantur. Est igitur Jacobsii oratio naturali venustate

nitens, adspersa verborum floribus, sententiarum gravitate abundans, notionum imaginumque promta facultate insignis, plurimis admixtis salibus condita, omnino Atticorum suavitatem spirans, et plurimis de causis mire dulcis. Quas ob virtutes quicquid scripserat, ab omnium ordinum et utriusque sexus hominibus cupidissime legebatur.

Sed mitto hanc Jacobsii laudem, de qua nemo sanus unquam dubitavit; alio nos vocat hominum de nostris studiis inique judicantium calumnia. Præter illos de quibus ante dixi est aliud hominum genus, qui clamant eos, qui in antiquitatis rebus investigandis versentur, ita iis se abdere solere, ut eorum quæ hodie agantur pæne incuriosi sint, ut populi sui naturam, quid? quod patriam ipsam exuant. Qua in re nescias, audaciamne calumniandi potius mireris an mentis perversitatem. Istius modi hominibus Jacobsii exemplum, quo vanitatis suæ coarguantur, objiciam; vobis autem, juvenes carissimi, idem juvat proponere, ut ad ejus imitationem vos conferatis. Nonne igitur Jacobsius noster indole et animo totus fuit Germanus nec nisi arte et ratione cum veteribus conspirasse censendus est? De ejus patriæ amore quæritis? Num cuiquam obscurum est, quo tempore Germani servitutis jugum a Francogallis impositum excutere conarentur, quum omnes

incredibili fervore incensi essent, inter signiferos extitisse Jacobsium? nonne quum ipse arma capere per ætatem non posset, omni quo polluit dicendi ardore omnem juventutem, ipsum Germaniæ florem, ad libertatem recuperandam excitavit? nec modo juvit patriam consilio prudentiaque, sed re et facto juvit. Quum unus e filiis jam stipendia faceret, alterum quoque non minus sibi carum in acie stare et pro patria vindicanda in discrimen se offerre voluit. En, habetis verum patriæ amorem, multum illum diversum ab eorum qui hodie in vocis usurpatione multi sunt inani declamatione.

Sed nescio quo pacto factum est, ut quum de Jacobsii doctrina ageremus, oratio delapsa sit ad ejus virtutes. Nolite id mirari, juvenes carissimi. Certum est enim honestarum artium professionem cum ipsius virtutis exercitatione artissime copulatam esse. Sed ut in iis nunc subsistamus animi virtutibus, quæ ex rectissimo earum artium quibus deditus fuit studio promanant, unam præ omnibus videmus in eo eluxisse humanitatem, cujus tam raram cum ipsa doctrina consecutus est societatem, ut quum hæc haberetur maxima, illa judicaretur par et æqualis. Et hoc quidem quamquam ita pro confesso habetur, ut vir in his litteris primarius, Godofredus Hermannus in Dresdensi philologorum Germaniæ consessu non dubitaverit Jacob-

sium nostrum veræ humanitatis quæ in omni ejus vita conspicua esset perfectum proponere exemplum, tamen, si in singulis quibusdam insistam, id vobis gratum futurum esse spero.

Jacobsii igitur pectus sincera repletum erat humanitate, idque ostendit, quandocunque oblata est occasio, et oblata est sæpissime. Ad æquitatem omnesque virtutes quæ cum æquitate conjunctæ sunt conformatus aliorum dissensionem non ægre ferebat, imo errores excusabat, dictitans sæpe in errore veritatis semina sparsa esse multosque errare debere, ut unus aut pauci verum intelligerent. Reprehensiones patienter ferebat, secutus id, quod per omnem vitæ cursum sibi faciendum putavit, ut ex æquorum iniquorumque monitis, si quid veri in iis inesse intelligeret, fructum quantum posset uberrimum peteret. Sic justam, at lenem reprehensionem qua exceptas esse narrabat a Godofredo Hermanno suas quasdam in Euripidem emendationes multum sibi profuisse lubens profitebatur; præter alia, majorem ex eo tempore operam se contulisse ad accuratiorem rei metricæ scientiam. Unam illam censuram Additamentorum in Athenæum, cujus auctores omne acerbitatis suæ virus Jacobsio adsperserant, gravem sibi fuisse non negabat, quod tunc id actum esse sentiret, ut sua apud Bavaros exsistimatio, ad quos recens venerat, in discrimen

vocaretur. Sed malis malevolorum hominum artibus nihil effectum esse constat; ea enim jam erat nominis claritas, ut nullius videretur præconio crescere posse, nullius objurgatione minui. Ceterum nil respondendum esse ratus dolorem, si quis resederat, animo pressit. Idem animum habebat ab omni invidia plane remotum, ut qui invidendi causas nullas haberet. Si quid alii bene cesserat, non minus ipso cui id contigerat lætabatur. Quum ad aliorum studia juvanda esset promptissimus, sua iis officia offerebat ultro. Quæ aut cum multo labore suo collegerat aut non sine sumptu quodam paraverat, eorum usum liberalissime concedebat. Sic, ut uno utar exemplo, tanta ad Themistium edendum plurium annorum labore conquisiverat subsidia, ut justæ propemodum editionis instituendæ haberet copias. Tradidit Guilielmo Dindorfio, qui editionem paravit. Plurima alia quæ futuro Græcorum aliquot posteræ ætatis scriptorum editori prodessent, permisit Dübnero, populari nostro, qui Germanicæ eruditionis dignitatem egregie sustinet apud Parisienses; insignis liberalitatis suæ eundem et testem nactus est locupletissimum et gratissimum habet præconem. Mihi ipsi et multa alia aliis temporibus impertivit, quæ ex præstantissimi hominis voluntate cum doctis hominibus, si Deus vires dederit, communicare constitui, et tum, quum Theocritum ederem, haud pauca obtulit, quæ editioni hujus

poetæ decori sunt atque ornamento. Pro ea quæ cum liberalitate conjuncta erat modestia in multis nomen suum suppressit. Is qui acerbam hujus libri censuram scripsit nunc, quum in juvenilis ardoris locum sedatiorem sperare liceat successisse mentem, si forte hæc legentis oculis subjecta erunt, per me sciat, in iis quæ tam acriter exagitaverit magnam partem se reprehendisse Jacobsium et sic læsisse hominis animum, qui nullius famam et exsistimationem scriptis suis læserit. Quod volebat ille, ego poteram, ut causam nostram ageremus, neuter fecimus. Pacis ita erat amans, ut animum haberet ab omni contentione alienissimum. Hanc suam mentem quum alibi declaravit, tum luculentissime testatus est iis verbis, quibus celebrem philologorum conventum Manhemiæ salutavit. Ibi enim, tanquam in procinctu faceret testamentum, hunc pacis amorem se legare ajebat præ aliis Thierschio et Rostio, qui Alexandri Humboldi auspiciis primi consilia agitavissent de anniversariis philologorum congressionibus, post illos se legare omnibus, quicunque iisdem humanitatis litterarum studiis conjuncti teneremur, recte sic statuens, non sanctius esse posse vinculum eo, quod ex studiorum communione proficiscatur.

Tam humanus quum in omnes esset, non mirandum quidem est, quod nullæ unquam doctorum hominum controversiæ eum tetigerint; sed rarum tamen ejusmodi exemplum

habendum est in eo, qui non in una aliqua eaque deserta disciplina elaboraverit, sed qui in plurimis iisque et ambitu latissimis et a magno concertantium numero cultis operam posuerit. Ceterum, ne hoc tacitum consulto præterire voluisse videamur, alio referenda sunt certamina, in quæ apud Bavaros implicatus est invitus. Horum enim ea erat ratio et natura, ut in iis decertaretur de eo, utrum doctrinæ lux quæ Bavaris affulgere cœpisset rursus obscuraretur, an ignorantiæ tenebræ cœcæque nubes illorum terræ denuo inducerentur. Sed de hac re et nos nunc pudet vera exsequi, et ab ipso quantum intelligentibus satis videretur expositum est in eo libro, quo de sua vita egit.

Sic igitur animo quum esset ab omni contentione vel rixandi cupiditate alienissimo, idem tamen non veritus est, ubi aliis injuriam inferri intellexerat, audacter et impavide quod sentiret pronuntiare; generosi scilicet animi suique judicii homo potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid alii laudaturi forent. Inprimis ejus indignationem movebat, si quos videret magnorum virorum dignitati labem adspergere et mortuis summa cum protervitate insultare. Facile tum qui mitissimo erat ingenio ita poterat honesta ira excandescere, ut alius factus videretur esse. Unum proponam exemplum. Heynii paternum erga se animum non una in re, quum studiorum causa Gottingæ ver-

saretur sibi præstitum, sæpe cum grati animi professione retulit, ejusque benevolentiam nullo tempore intermissam usque ad illius mortem retinuit, usque ad suam prædicavit. Hunc indigne ferebat quod alii tantum viventem amavissent seu potuis amare se simulavissent, alii ne simularent quidem, nisi quamdiu florentem vidissent, alii denique mortuo insultarent. Pro defuncti igitur amici fama sic propugnavit, ejusque caussam ita egit, ut calumniatores facti sui tantum non pœniteret.

Tam grate aliorum beneficia interpretabatur, tam promtus erat in aliorum meritis agnoscendis, commendandis, laudandis. Sed qui æquum aliorum æstimatorem et judicem se præbebat, sibi ipse minus satisfaciebat, imo sui pæne calumniator erat. Cum aliis dum se comparabat, sibi aut justo minus aut parum tribuebat, semperque infra aliorum æstimationes se metiebatur. Anno duodecimo hujus sæculi, quum in Heynii locum succedendi oblata ei esset conditio, nec qui tanti viri partes expleret ex omnium consensu alius judicaretur magis dignus, etiamsi haud exigua proposita essent ad tempus invitamenta, præter alia quæ ab ea re dehortabantur etiam virium suarum diffidentia quædam in caussa erat, ut oblatum sibi munus recusaret.

Singulari hac Jacobsii modestia factum est, ut quo minus laudem ipse peteret, eo magis eam assequeretur; hoc

enim est virtutis proprium, ut eam sequatur gloria, tanquam umbra, quæ cum ea re quam comitatur ita est conjuncta, ut divelli ab ea nequeat. Et quæso hoc loco, AA., ut coram vobis copiosius exsequi liceat, quæ per illius, quamdiu inter vivos erat, pudorem referre nec volui nec potui. Scilicet dicendum est de honoribus, qui ipsi habiti sunt et a doctis hominibus et a principibus suis et a patriæ urbis civibus.

Paucos igitur repertum iri putamus, quibus tot tanto studio homines docti certaverint reverentiam suam aut privatis litteris præstare aut publice testari eo, quod libros suos ejus nominis præscriptione ornarent. Et hoc factum ab iis adeo, qui nulla spe commodi sui ejus benevolentiam appeterent, imo quibus ne contigisset quidem, ut cum ipso aut consuetudinis quodam usu aut epistolarum commercio conjuncti essent. Multa possum afferre, sed in uno acquiescam exemplo. Fuit juvenis ad doctrinæ haud vulgaris laudem adspirans eamque plenissime olim assecuturus, si diutius ei licuisset hac vita frui, Fridericus Augustus Wernicke, Silesius. Is quum plurimum laboris in iis Græcorum poetis tractandis posuisset, in quibus et emendandis et interpretandis Jacobsium quoque egregie versatum esse constat, tanta ejus repletus est admiratione, ut ei præ aliis operam suam probari vellet et in ejus interiorem quandam

cognitionem pervenire cuperet. Jacobsio igitur Tryphiodori editionem, quam ita absolutam reliquit, ut ultima modo manus deesset, inscripturus erat. Quod facere ipsi per fata non licuit, fecit Carolus Timotheus Zumptius, præstantissimæ vir doctrinæ idemque laude conspicuus candoris et integritatis. Is ultimum quod a moribundo acceperat mandatum religiose est exsecutus. Hac Wernickii voluntatis significatione nolite quærere, quomodo affectus fuerit Jacobsius. Nulla alia re eum memini sic commotum esse.

Solet hoc inter eruditi hominis insignia et ornamenta honoris haud contemnenda haberi, si a quam plurimis doctorum societatibus publice constitutis in sodalitium cooptetur. Quod si aliquam sui ostentationem habuisset Jacobsius, abunde ab hac parte ei satisfactum esset. Si qui alii in hujusmodi titulis stupent, eorum in Jacobsio magnificentiam ex inscriptione voluminis septimi miscellaneorum ejus operum cognoscant, quæ accuratam singulorum enumerationem exhibet. Alia nunc mittamus, sed hoc silentio præterire nobis non licet, quantum honoris Jacobsio tribuerit totius Germaniæ philologorum conventus, quum exoptatissima ejus præsentis facultas Manhemiæ esset data. Eum tanquam communem parentem ac patronum suum cuncti consalutaverunt, nec vivis solum vocibus suas erga eum voluntates ac studia præ se tulerunt, sed mansurum etiam eorum

in omne tempus documentum exstare voluerunt votivam tabulam, cum multo verborum honore et elegantissime a Friderico Hermanno conceptam. Hunc honorem præsentes præsenti habuerunt, absentis memoriam quinque annis post recoluerunt cum pari pietatis significatione conjunctam. Godofredo enim Hermanno suasore et auctore, philologorum qui Dresdam convenerant nomine litteras publice ad senem venerabilem mitti placuit, quibus quæ octogesimo ejus die natali redeunte, qui dies paucis diebus post futurus erat, absentis cum desiderio memores vota nuncuparent, testificarentur; nobis autem Gothanis qui frequentes more nostro aderamus hoc datum est negotium, ut reduces in patriam facti eo ipso die litterarum illarum exemplum typis nitide exscriptum traderemus. Fecimus socium nacti Franciscum Dorotheum Gerlachium, popularem nostrum, qui Basileensem academiam doctrinæ fama ornat, et quod jussi eramus, fecimus ita, ut postquam aliorum voluntatis interpretes fuissemus, nostram quoque privatim et ex suo quisque pectore aperiremus.

Maximam honorum testificationem habuit a principibus suis. Singula referre non attinet; hoc unum commemoremus, tam a duce Gothanorum, quam a Bavariæ rege equestris ordinis dignitate eum ornatum fuisse. His virtutis insignibus eatenus aliquid tribuendum esse statuebat, si

quæ haud pauci sine virtute assecuti essent, ea non sine suo merito sibi contigisse aliis esset persuasum. Insuper eam adhibuit modestiam, ut quæ cum Bavarici ordinis insigni conjuncta essent nobilitatis jura, nunquam affectaret; qua in re avi sui, qui in haud dissimili quondam conditione parem rationem tenuit, secutus est moderationem. Unum aliquod sibi perquam honorificum visum fuisse cum superbia quadam jactabat. Scilicet quum muneris quinquagenalia ageret, præter alios honores, quos cives Gothani ei publice habebant, civem suum fecerunt; quo beneficio vix aliud quicquam gratius sibi tributum esse sæpe meminimus, quum inter familiares narraret.

Supersunt multa quæ de hac re dicenda habeam. Sed quum reputo, quam in omni vita modestiæ studiosissimus fuerit Jacobsius, nolo equidem longior esse in ea orationis parte, cujus uberior tractatio ipsius animum, si terrena contagione eum non plane abstinere credimus, jure possit offendere. Et graviora me vocant. Cum majore enim vestrum, juvenes ornatissimi, commodo fructuque quærere mihi videor, qua via et ratione Jacobsius ad illud doctrinæ fastigium quod eum ascendisse vidimus pervenerit. Qua re simul id assequemini, ut non solum virtutis omnisque præstantiæ quod intueamini habeatis exemplum, sed ut etiam

ducem nanciscamini, quo, si eandem laudis viam ingredi constituistis, certiorem non reperiatis.

Ac primum quidem excellentem in eo ingenii bonitatem fuisse non negamus, sine qua nullum negotium, quod ingenio exercetur, prospere succedit. Huic igitur litterarum, quibus se dedit, subtilitati propemodum genitus ad insitas a natura facultates miram pervestigandi explicandique constantiam adjunxit. Verum etiamsi scribenti omnia abunde affluerent, non minorem tamen in iis expoliendis adhibuit diligentiam. Sic factum est, ut, quod raro in aliis deprehendimus, Jacobsii in summa artis intentione maxima esset fertilitas. Ad illa, quæ modo memoravi, aliud accessit naturæ munus, memoriæ vis. Hujus miram habebat facultatem, ut quæ infinitum plurimarum rerum, quas mente percepisset, thesaurum non solum firmissime custodiret, sed etiam quidlibet ex eo petenti quovis tempore celerrime repræsentaret ac suppeditaret. Nec prætereundum hoc, quod laboris capacissimum eum reddebat sufficiens vigori animi corporis compages. In hac corporis constitutione poterat per multas deinceps horas, quum scribendi negotium eum sellæ affixum teneret, sedere, et raro desiderabat ambulationem. Quod in aliis pro vitio habetur aut saltem incommoditatem afferre creditur, hoc tantum abfuit, ut ei obesset, ut in litterarum studiis eum haud parum juvaret. Nam

quum gravius audiret, id non eo usque valebat, ut aliorum sermoni minus vacaret — nam si quorum voci adsuetus erat, eorum mentem opinione citius assequebatur, — interdum tamen id commodi ferebat, ut, quum defixus esset in cogitationibus, omnem aures clamorem sonumque excluderent.

Sed hæc omnia nec in longissima vita suffecissent tot tamque præclaris ejus institutis ac factis, nisi omnium quæ ageret modum quendam et ordinem servasset, cum eaque re acerbissimam conjunxisset temporis parsimoniam. Ex quo dici vix potest, o mei juvenes, quot et quam efficacia ceperit ad litterarum studia adjumenta. Quam insignes inde ad omnem doctrinam redundaverint fructus, et dictum est a nobis jam supra, et in omnium conspectu est positum. Sed cognoscite jam, quæso, quæ, iisdem adjutoribus usus, subsecivis, ut ajunt, operis perfecerit. Ut de plurimis, quas juvenili præsertim ætate scripsit, librorum censuris taceam, frequentissimum ei erat aut per muneris rationem aut propter doctrinæ famam litterarum commercium. In quibus dandis accipiendisque adeo erat diligens, ut si quæ allatæ essent, quo tempore id factum esset, accurate notaret in libro quodam; in eundem referebat de iis, quas missurus erat, aut sententiarum summa adscripta, aut, ubi res gravior esset, exemplo servato. Quum epistolæ ad unum

omnes in fasciculos ad litterarum ordinem sint relatæ et ex temporis notatione digestæ, facilem hic thesaurus habet aditum, reclususque prudenter in clariore luce collocabit multa, quæ ad litterarum historiam spectant cognitu dignissima. In libris scribendis nunquam aliorum manu usus est; sua ipse manu omnia nitidissime transscripsit. Imo quod multo indoctiores homines infra dignitatem suam positum arbitrantur plurimi, vel in indicibus conficiendis aliorum operam repudiavit. Miræ ex hoc genere diligentiæ documentum reliquit bibliothecæ suæ, rarissimorum librorum copia refertæ, indicem pari cura factum ac nitore scriptum. Habetis exemplum hominis, qui cum ingenio summo summam diligentiam conjunxerit. Illam laudem ut pauci nanciscantur — ex raro enim fautricis naturæ dono eam consequi licet — ad hanc omnibus aspirare licet. Et vobis inprimis, juvenes carissimi, auctor sum, ut in temporis, rei longe pretiosissimæ, usura Jacobsii sequamini exemplum. Vultisne audire longo annorum usu probatam spectatissimi hominis vocem? „Sat multa quidem — sic Quintilianus suos juvenes alloquitur — potestis, sed breve vobis tempus vos facitis. Quantulum enim studiis impartimini? Alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis otium, alias spectacula, alias convivia trahunt. Adjicite tot genera ludendi et insanam corporis curam, trahat inde

peregrinatio, rura, calculorum anxiæ sollicitudines, multæ caussæ libidinum, et flagitiosus omni genere libidinum animus; ne ea quidem tempora idonea, quæ supersunt. Quæ si omnia studiis impenderetis, jam vobis longa ætas et abunde satis ad discendum spatia viderentur, vel diurna tantum computantibus tempora; et noctes, quarum bona pars omni somnio longior est, adjuvarent. Nunc computate annos, non quibus studuistis, sed quibus vixistis."

Cognovistis adhuc, AA., Fridericum Jacobsium perfecte pleneque eruditum, litterarum studiis principem fuisse; audivistis præter accuratam totius antiquitatis cognitionem omni recentiorum populorum elegantia eum tinctum fuisse; admirati estis quas cum exquisita doctrina conjunctus habuerit singularis humanitatis laudes; perspectum habetis, quanta arte et prudentia cum naturali ingenii præstantia copulaverit diligentiæ assiduitatem: ut paucis dicam, cognitum comprehensumque habetis in Jacobsio docti hominis, qui nulla in re aliorum exspectationi quantumvis magnæ defuerit, exemplum. Sed reputate, quæso, etiam publica officia habuisse Jacobsium. Munerum igitur, quæ ipsi delata erant, partes quomodo exsequutus sit, cum vestra venia, AA., nunc quæramus.

Primarium igitur munus, quum ætate jam progressus esset, hoc sustinuit, ut rerum aut ad doctrinam aut ad artes

spectantium thesauro, qui in splendida ducum nostrorum arce servatur, præpositus esset. Cujus muneris suscepti partes omnes, qua arte et prudentia, qua diligentia et religione expleverit, vestrum quidem, AA., nemo est qui ignoret.

Bibliothecæ curam habere cœpit jam ex anno secundo hujus sæculi. Tametsi tum eam muneris haberet immunitatem, ut ad arbitrium suum quando vellet et quæ vellet ageret, nunquam tamen hac est excusatione usus. Non aliter enim omnibus ac singulis illius muneris officiis jam illo tempore se adstrictum censebat atque postea censuit, quum ab omni scholarum habendarum negotio remotus uni bibliothecæ vacabat. Consilii autem ejus, studii, officii, operæ, laboris, diligentiæ non alius locupletior testis loquetur apud posteros. Nam quum intra quinquaginta annorum spatium tantas accessiones habuerit bibliotheca, ut, quæ olim non quadraginta millia voluminum complexa fuerit, nunc triplo majorem librorum numerum comprehendat, ejus auspiciis omnis bibliotheca in ordinem redacta est, singuli libri in indicem relati et suo quisque loco relati. Solus index per duo de quinquaginta volumina forma maxima diffusus est et quod incredibile est dictu, major eorum pars ipsius manu est conscripta. Præterea librorum manuscriptorum indicem bis eadem diligentia confecit, primum duobus voluminibus

forma maxima, deinde tribus voluminibus forma quarta. De his omnibus rebus ea qua solitus est modestia retulit in singulari libello, quo consiliis cum Ukerto collega consociatis et bibliothecæ historiam enarravit et rariores libros descripsit.

Cum bibliothecæ cura conjuncta fuit altera nummothecæ. Hanc constat jam ex quo per Liebium in exterorum quoque notitiam venit, antiquissimorum rarissimorumque copia nummorum refertam esse, quibus tanto majus ab omnibus jure statuitur pretium, quominus de antiqua eorum origine licet dubitare; sunt enim apud nos repositi diu antequam vaferrimorum impostorum fraudulentæ artes veteres nummos ita assimulare cœperunt, ut fictos a veris ne peritissimus quidem possit dignoscere. Hujus quoque thesauri accuratissimum fecit indicem, qui quinque voluminum ambitum habet. Insuper, quod, licet a nonnullis leve habeatur, tamen commemoratione non indignum videtur, in disponendis digerendisque per scrinia loculosque nummis tali sollertia usus est, ut quærentibus expeditissima quos quis velit reperiendi oblata sit ratio.

Quæ adhuc dixi, ea omnia spectare intelligitis ad diligentiam quam in obeundo munere præstiterit; quæritis fortasse de alia laude, quæ non minor est in homine, cui tantus librorum, nummorum thesaurus custodiendus est

traditus, officiosam voluntatem dico, qua creditas sibi divitias aliis adeo non invidet, ut eos ultro in eorum usum invitet.

„Ipse igitur, ut de sola bibliotheca nunc dicam, non modo ejus scientia omnium longe princeps erat, sed etiam elegantissima humanitate et exprompta adversus hospites facilitate. Quoties ad usus communes patebat bibliotheca, ipse præsto esse, circumire qui adessent, elicere sermones, consilia dare, libros ei rei de qua quærerent idoneos indicare, præbere, viam reperiendi utendi demonstrare ac munire. Hospites autem quoties ad bibliothecam visendam venissent, sermonem ad sua cujusque studia trahebat, quid in eo genere rarum præcipuum proprium esset ostendebat, de rebus ipsis, quoad cujusque captus ferret et sine scholastica ostentatione posset, disserebat. Itaque illi sic discedebant, ut doctrinam potius an elegantiam et humanitatem prædicarent, vix decernerent.“

Talem bibliothecæ præfectum quum nobis describebat Gesnerum, Academiæ Gottingensis olim grande decus, Augustus Ernesti diserta de illo narratione, næ ille præsagire animo non potuit, futurum aliquando esse, ut quam effinxisset amici imaginem, ejus vel singula lineamenta alterius qui centum annis post victurus esset similitudinem

exprimeret. Ego vero quod rara dictionis elegantia vos defraudare nolui, ipsis Ernestii verbis uti non dubitavi.

Sed hic ipse ex quo verba facio locus, AA., me admonet vel ut verius dicam a me flagitat, ut de scholastico ejus munere dicam, cui per duos et viginti annos ita præfuit, ut et collegis longe gratissimus fuerit et discentibus mirifice profuerit et scholæ laudi dignitatique apud exteros egregie consuluerit. Profecto, AA., si quis locus in patria nostra est, in quo jure prædicentur Jacobsii laudes, non justius eas laudes resonare et cupidius audiri certus scio, quam intra hos parietes. Nostra schola tenerum puerum gremio suo aluit fovitque, quum honestissima discendi cupiditate flagraret eruditionisque subsidia sibi pararet; vidit eundem et admirata est juvenem et virum factum, beatissime felicissimeque viventem, quum in summa jam claritate constitutus ex infinito doctrinæ thesauro plurimos sui studiosissimos discipulos saluberrimis præceptis impertiret et Musarum sacris initiaret; coluit et venerata est senem, quum in patriam redux non docendo quidem juventutem institueret, at consilio auctoritate exemplo tam adolescentes, quorum commodis nullo unquam tempore servire desiit, quam præceptores, quorum pristinam amicitiam retinuit, foveret regeret juvaret. Quantum autem illud sit, quod ei hoc gymnasium debeat, et nos omnes omni tempore probe sensimus

ac lubenter professi sumus, et ipso vivo unus e nostro collegio ex hoc loco publice declaravit tum, quum muneris præclare a se per decem lustra gesti sacra non celebraret quidem — nam qua erat modestia, ut festi diei celebritatem remoto a nobis loco absconderet, Dresdam profectus erat, — sed haberet tamen, et solis nobis festum diem pio animo agendum reliquisset.

Nimirum singularem scholæ amorem, jam a tenero imbibit, ac per omnem vitam servavit integrum, nec unquam ex animo deposuit: ejusdem quotiescunque occasio oblata est, haud obscuram significationem dedit. Hinc factum est, ut etiam postea, quum gravioribus muneribus admotus esset, quandocunque aliquam aut privatim aut publice haberemus lætandi causam, in ejus nobiscum veniret societatem. Sic quum gymnasii sæcularia tertia faustis ominibus anno MDCCCXXIV celebraremus, ad rectorem nostrum Dœringium misit epistolam elegantissime conscriptam, qua scholæ commendationem inclusit nobis honorificentissimam. Uni ex collegis, quocum per dimidiatum sæculum arctissimo amicitiæ vinculo conjunctus erat, Kriesio, quum diem quo sacra semisæcularia faciebat ei gratularetur, simile munus detulit. Ante hos septem annos quum clarissimi Græcæ Romanæque antiquitatis cultores Gotham frequentes convenissent, urbem nostram hospitibus commen-

daturus, quum in ceteras ejus laudes, situs amœnitatem, elegantes probosque civium mores, Museorum omnis generis copias, quod cum magno orationis ornatu facere poterat, exspatiari liceret, hæc orationis ornamenta repudiavit, unice acquiescens in ea urbis laude, quam a scholæ præstantia haberet. Id agens justas quidem in collegas transfudit laudes, sed quod scholæ probabilis erat status, id non ex minima parte sibi deberi reticuit. Nam ut nihil dicam de eo, quod scholasticis libellis a se editis scholæ famam per terrarum orbem propagavit — non jactantius hoc dico, si quidem ejus libros non solum in Britannia et in Russia, et nuper in Græcia quoque, sed in America etiam repetitos esse constat, — hoc igitur ut omittam, quod cum aliis collegis hoc commune habuit, quorum libri eruditorum plausum tulerunt, ipsum venerabamur ut exemplum boni et religiosi magistri, qui ad discipulorum utilitatem et salutem omnia dirigebat. Scilicet non sordido quodam consilio docentis munus sectatus erat, sed quod sibi nullius generis sors lætior beatiorque semper visa est, quam qui juventuti litterarum studiosæ erudiendæ formandæque operarentur. Hoc sibi ita videri, quum Monachium abiturus ex hoc ipso loco nobis valediceret, palam professus est iterumque declaravit alia opportunitate oblata. Quid ni vero nos, collegæ amantissimi, qui munus habemus non fructibus quidem

suis carens, sed quod omnes norunt operosum tamen et non semper expeditum, quidni, inquam, libenter de nostræ conditionis præcipuis quibusdam commodis nobis persuaderi patiamur ab eo potissimum viro, qui neque ejus molestiarum expers fuerit, et splendorem qui ex alio vitæ genere sequeretur ipse senserit? ex quo simul id consequemur, ut majore in dies incendamur alacritate ad gravissimi muneris partes explendas. Ut ipsius igitur accipiatis verba, beatam illam et quietam vitæ rationem quam optima studia nobis præceptoribus præstent ejusmodi esse dicit, ut Epicuri diis quodammodo similes videamur esse, nec senectutem nobis obrepere sentiamus. Tum, quid, quæso, pergit, jucundius et honesti ingenuique animi viro dignius, quam quotidie circumflui examine puerorum ex magistri ore pendentium, eum suspicientium, amorem ei et reverentiam verbis factisque significantium, præceptis ejus gaudentium, voluntati atque optatis ultro occurrentium? Mirum dicetis esse, quod, qui alterius imaginem repræsentare nobis voluerit, non cogitans suam ipsius depinxerit. Ad vos me jam converto, viri doctissimi atque ornatissimi, quibus contigit Jacobsii institutione frui, quosque ut extremum hoc præceptori vestro præstaretis pietatis officium, frequentes hodie convenisse lætor. Vestrum igitur quis est qui non recordetur, quanto omnes amore eum amplexi sitis? quanta

animi attentione ejus scholis interfueritis? quam cupide ejus præcepta imbiberitis? Nimirum parem in ipso videbatis alacritatem; voluptatem capiebat ex docendo; nulla erat res ne levioris quidem momenti, quam quum tractaret non jucundam et magnam et gravem vobis visam esse omnes fateremini. Sic rara et docentis et discentium concertatione factum, ut idem utrisque esset propositum, illi ut prodesse vellet, his ut proficere. Liberalissime utique tempora discentibus impendebat, nec ulli parcebat operæ aut sumptui. Sic ut uno exemplo utar, quanto labore perfungebatur, quum eorum, quæ patrio sermone commentati essent discipuli, moderator existebat? Non singulas modo singulorum commentationes accurate emendabat ac subtile de iis proponebat judicium, sed ipse sæpe idem argumentum sibi tractandum sumebat ac discipulis exemplum, ad cujus imitationem se componerent, exhibebat. Quod quo successu fecerit, facile in oculos incurrit. Jam videre licebat cuique, quid recte, quid secus scripsisset, omnino singulari quisque artificio perfectum opus poterat admirari. Ex hoc ejus more, quem alii quoque præceptores imitandum sibi sumant, dignissimo orta est egregia illa commentatio, quæ volumini sexto operum miscellaneorum inserta est, qua quæritur, utrius sors tolerabilior videatur, num ejus cui auditus sit negatus, an illius cui sit luminis cæcitas. Iis discipulis quorum

præ aliis laudabilis esset diligentia et in litterarum studiis progressus, haud raro deferebat præmia, quæ de suo parabat. Officii ea tenebatur religione, ut nisi de gravissimis caussis non omitteret scholas. Et hac potissimum religione se commotum esse narrabat familiaribus, ut patria relicta Monachium migraret. Nam quum Augusto duci ita in deliciis esset, ut ejus opera in ingenii sui operibus fingendis et expoliendis præ aliis uti vellet, invito Jacobsio aliquoties factum est, ut non omnibus, quemadmodum par erat, muneris officiis posset satisfacere. Nam quod suo quodam jure imperare poterat princeps, blanda ejus eliciebant verba, ut Jacobsium pariter atque Laberium equitem quondam moveret

viri excellentis mente clemente edita
submissa placide blandiloquens oratio.

Verum quum aut perdenda esset principis, quem mira ipse caritate colebat, gratia, aut aliquid denegandum esset officii sanctitati, diutius fluctuare noluit patriamque reliquit. Sed ut illuc revertar, fuit tamen aliquando, quum gravissima re avocatus scholam cogeretur omittere. Cujus rei nuntius ubi ad discipulos pervenit, alii miseram suam, qui Jacobsium audire non possent, conqueri sortem, alii lacrimis temperare non posse, omnes iniquo animo minus jucundum sibi vicarium exspectare. De hoc discipulorum amore ac

desiderio quum relatum esset Jacobsio, quo tum animo eum affectum esse censetis? et ipse lacrimas tenere non poterat, sancteque jurabat, modo per se staret, se non iterum admissurum esse, ut tam cari discipuli amati a se præceptoris operam desiderarent.

Hæc Jacobsii merita justos admiratores invenerunt et potissimum in caussa fuerunt, ut gymnasii magistris suus a principibus et ab hominibus in summo loco collocatis haberetur honor. Quamquam in ea re ne ceteros quidem ejus collegas, qui nobili inter se concertationis studio ducebantur, merita laude defraudare licet; nam hi quoque, qui mihi quondam præceptores fuerunt colendi, pro sua quisque parte ad scholæ dignitatem tuendam, augendam, amplificandam haud parum contulerunt.

Ad Jacobsium revertor. Hunc igitur num putatis futurum fuisse, ut cum tanta apud omnes dignitate viveret et in eorum, qui usu quodam aut consuetudine cum eo conjuncti erant, hominum et in discipulorum in primis animos tantam exerceret vim, nisi ad insignes ingenii, quibus ornatus fuit, facultates, ad eruditionis, quam sibi paravit, copiam, ad peculiarem, quam ab humanitate habebat, doctrinæ commendationem, ad religionem et fidem, quam in muneribus obeundis præstitit, ad docendi denique solertiam

aliæ quoque accessissent virtutes? eas dico, quibus homo censetur inter homines.

Quarum, ut dicam, quod sentio, laudem pluris etiam æstimamus, quam gloriolam quandam illam, vanam aliquando futuram, quam sunt quidam, qui ex sola doctrina peti posse arbitrantur. Omni quidem hæ virtutes, quod in interiore modo ac domestica vita redduntur conspicuæ, illustri splendore sunt destitutæ, eædem vero nunquam interituri apud amicos et posteros amoris et existimationis fundamentum præbent certissimum. Ego vero quomodo ab animo meo impetrare possim, ut de his sileam, quarum assiduum per multos annos spectatorem me fuisse cuncti scitis? Imo mortuo nunc me fas est tribuere, quæ tametsi gratus animus jam olim flagitaret eloqui, intra pectus adhuc repressit pudor.

In Friderico Jacobsio plurimarum virtutum rarum quendam concentum fuisse et consensum, quum contendo, non vanum auditis laudatorem. Omnes fatebimini ipsi contigisse, quod paucis evenisse cognovimus, ut summam gratiam amoremque inierit apud cunctos, summos infimos, doctos indoctos, apud eos adeo qui ipsum nunquam de facie novissent. Tam communem omnium hominum amorem si quis consecutus est eundemque perpetuo ac constanter servavit, hoc cum debuisse necesse est non uni

alicui quam exercuerit virtuti, sed plurimarum quem modo dixi concentui. Quamobrem quum difficile sit atque vix fieri posse videatur, ut, dum singulas enumeremus, earum nullam prætermittamus, in præcipuis quibusdam subsistere placet.

Quam primo loco ponam, non est quod dubitem. Est quam in aliis ipse plurimi fecit pietas in deum, sincera illa, nec fucata, ex intimo pectore manans. Nam virtutem non in ore modo habuit ejusque laudes prædicavit, sed modum pietatis in virtute colenda posuit. Statuebat autem sic, plus esse boni in animi religiosi et veris virtutibus condecorati sanctitate, quam in ingenii solertis et acuti excellentia; hujus opera esse caduca, illius æterna. Hanc pietatem quum pæne cum lacte matris suxisset, per omnem vitam et in quavis conditione servavit. Sæpe maximam numinis benevolentiam se expertum esse ac plurima bona per longam vitam sibi contigisse etiam tunc, quum esset summa senectute ac perdita valetudine, gratissimo animo Dei nomen prosecutus nobis referebat; imo si quæ mala sibi accidissent, pro iis quoque Deo se gratiam habere ajebat, quod ea ad suam salutem pertinuisse perspiceret. Quum virtutis nomen tam carum haberet, alios quoque ad ejus exercitationem libris a se editis perducere studuit; quos libros quum populares esse vellet et communi intelligentiæ

patere, patrio sermone conscripsit. Et operam, quam in his componendis posuisset, successu non caruisse impense lætabatur. Qui lentum aliorum laudibus opponeret animum, eum tamen memini intime commoveri, quum ex litteris ab amico ad se scriptis cognovisset, a Friderico Augusto Wolfio se ita comparatum esse cum Gellerto, ut hunc, si nostra ætate viveret et rectissimum haberet ingenii cultum ex elegantissimo totius antiquitatis studio profectum, non aliter fuisse scripturum censeret. Quid? quod paulo ambitiosius narrabat nobis, nihil unquam sibi jucundius accidisse, quam quod aliquando honesta aliqua matrona, quæ Monacensis amici filia esset, quum ad se salutatum venisset et ex matrimonio se fortunatissimam esse dixisset, hoc se ipsius libris debere affirmaverit, addens se operam dare, ut præceptis quæ in ejus libris exposita essent convenienter viveret.

Pari pietate fuit adversus parentes. Matre, quum pueritiam nondum esset egressus, orbatus est, patrem magno fortunæ favore tamdiu habuit superstitem, ut voluptatis, quam ex filii honoribus nominisque claritate perciperet, usuram ei præstaret plenissimam. Omni tempore vere paternum ejus animum nobis prædicabat et ultimis adeo vitæ diebus multus erat in extollenda insigni ejus liberalitate, qua sibi concessisset, ut Gottingam ad Heynium se con-

ferret, cujus institutione liberalium studiorum cupiditati satisfaceret. Quem cultum patri tribuerit, inde potest intelligi, quod jam vir factus in nulla non re graviore ejus consiliis se regi passus est. Sic prope quinquagenarius, quum honorificentissima in Heynii locum succedendi ei oblata esset provincia, ita in consilium adhibuit patrem, ut hujus se voluntati obsecuturum esse declararet: qua de re amoris plenissimam, sed eandem prudentissime scriptam legi patris ad filium epistolam. Ut paucis dicam, si suam intelligentiam ad aliquam aliorum utilitatem conferre posset, id omne se patri acceptum referre fatebatur, ac lubens in se transferebat Horatii verba:

atqui si vitiis mediocribus ac mea parvis
mendosa est natura, alioqui recta — — —
si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra
objiciet vere quisquam mihi, purus et insons
ut me collaudem, si et vivo carus amicis,
caussa fuit pater his.

De pietate in juventutis rectores ac præceptores quid multa commemorem? cujus plurima satis luculenta in ipsius scriptis extant testimonia. Geisleri enim quoties prædicavit in docendo industriam, doctrinæ per multas disciplinas diffusæ copiam, efficax doctorum hominum apud principem patrocinium; Strothii ingenii præstantiam, judicii subtili-

tatem, reconditæ eruditionis promptam facultatem, morum elegantiam. Et Kaltwasseri quidem non minus frequens in libris commemoratio, at frequentior tamen in sermonibus familiaribus. Ab eo enim puer primum privatim, tum publice institutus, etiam ad linguæ Græcæ studium amoremque adductus erat. Quum præceptorem mox longo post se reliquisset intervallo, generosum poteras videre par hominum, magistrum qui gauderet se ab discipulo doctrina superari, discipulum qui nunquam desineret præceptorem colere ac venerari ejusque in se merita prædicare.

Omnino si quod ab aliquo beneficium in se expertus erat, id memori tenebat mente. De grato quem aliis præstiterit animo multa afferre possum exempla, unum apposuisse satis erit. Quum Anthologiam Græcam primum editurus erat, nova quædam subsidia, quæ haud paucorum nummorum erant, sibi parare debebat, et longiore opus erat otio, per quod nulla alia re pecuniam sibi facere posset. Ab Ernesto igitur duce, qui secundus est hujus nominis in terra Gothanorum et Altenburgensium, Schlichtegrollio, cujus magna erat apud principem auctoritas, intercedente, trecentorum imperialium summa adjutus est, quam quod cum suo commodo fieri posset per intervalla et sine usuris redderet: sed omne hoc debitum ei postea ab Ernesti filiis remissum est. Quam bene hoc beneficium apud

Jacobsium positum fuerit, operæ pretium est cognoscere. Ernesto ut gratam mentem referret, volumen primum Anthologiæ a se primum editæ inscripsit, ac meritis laudibus in præfatione prædicavit ducis liberalitatem; sed ejusdem beneficii sempiterna memoria ita obstrictus erat, ut quindecim annis post, quum novis curis Anthologiam ex Palatino codice longe emendatiorem evulgaret, hunc librum PIIS ERNESTI MANIBUS sacrum esse vellet. Hujusmodi pietatis aliud simile exemplum frustra adhuc quæsivimus.

Cum hac virtutum indole miram vitæ et morum elegantiam conjunxit. „Ac morum quidem venustas (Hemsterhusium Ruhnkenianum agnoscite, cui in hac quoque re par similisque fuit) non solum per ejus libros fusa est, sed etiam in sermonibus omnibusque vitæ actionibus ita lucebat, ut non tam sibi et Musis vixisse, quam inter fortunatos beatosque homines ætatem egisse videretur. Sermo familiaris etsi tam accuratus et eruditus erat, ut meditatum diceres, tamen nihil habebat affectationis molestæ. Naturæ vi abundabat sale atque urbanitate et præterea omnem leporem et facetiarum florem ex antiquis et novis scriptoribus libarat. Itaque vix alium ex eruditorum ordine vidimus, cujus consuetudo a principibus etiam viris impensius expeteretur." Et eorum quidem, quos principes veneratus est, tam in nostra terra, quam apud Bavaros, Ernesti

et Augusti ducum Gothanorum, Maximiliani et Ludovici regum Bavariæ, constantem ac plenissimam per omne vitæ tempus habuit gratiam. Ernestus, cui per Geislerum erat commendatus, postquam Jacobsii integritatem animi et honestatem satis perspexit, omnem in illo, quod paucis contigit, fiduciam posuit, nec unquam habuit, quod hujus rei eum pœniteret. De Augusto quid multa dicam? ingeniosissimo principi, qui sui similium consuetudinem sectabatur, quam carus et jucundus fuerit, jam supra commemoravimus; nunc addamus ducem, quamvis perinvitus Jacobsii, quum per biennium abesset, opera et usu caruerit, animo tamen adeo non abalienato fuisse, ut ultro consilia de eo in patriam revocando agitaverit. Pari ejus desiderio Maximilianum regem constat affectum fuisse idque in votis habuisse, ut Monachium quam primum rediret; hoc simul verborum honore regem usum scimus, ut diceret Jacobsium et doctum hominem et eundem probum virum sibi videri. Idem et sensit et plus semel pronuntiavit Ludovicus, cujus mentem jam ex eo sibi devinxerat, quod Græcarum litterarum amorem ei instillavit et Latii scriptorum elegantiam et gravitatem aperuit. Ceterum gratiosissimæ benevolentiæque plenissimæ ab his omnibus principibus scriptæ ad Jacobsium epistolæ extant plurimæ, quæ ut aliquando edantur tam eorum caussa, a quibus profectæ sunt, quam

propter eum, ad quem missæ sunt, optandum nobis videtur.

Qui tam jucundus fuit principibus, non minus amabilis fuit domi inter suos, inter amicos, inter notos et familiares. Bis matrimonium iniit; priore conjuge mortua, ut matrem redderet liberis, illius sororem secum conjunxit. Utrasque constat honestissimas fuisse matronas, quarum vitæ morumque exemplar mulieribus proponatur dignissimas, easdemque eximia ab eo caritate dilectas. Liberis suis vere pater fuit. Tametsi nullius rei tam parcus esset quam temporis, tamen filios ipse ad doctrinas quasdam instituit et nepotem neptemque latinæ linguæ elementa docuit. In filii natu maximi, quum octavum annum ingressus esset, gratiam libellum conscripsit, cujus præceptis animum pueri, qui natura jam honestatis appetentissimus erat, magis etiam ad virtutis studium incenderet; eundem postea adolescentem in conscribendis in Xenophontis librum qui est de arte equestri commentariis adjuvit, quamquam filio in ea re præstitam a se operam alicujus momenti fuisse negavit. Qui quum ex misero morbo mihi quoque flebilis extinctus esset, quippe quo usus eram et fidissimo amico et medico artis suæ experientissimo meorumque amantissimo, quattuor liberos habuit superstites. His eam operum suorum miscellaneorum partem, qua de vita sua egit, inscripsit

eoque libro nominis paterni satis amplum patrimonium reliquit.

In amicitiis colendis constantissimus fuit. Ex iis quibuscum jam puerili ætate amicitiam junxit, unum nomino Georgium Schatzium, ex cujus usu in litterarum studiis recte et cum voluptate instituendis haud parum se adjutum esse ipse professus est; quamquam amplius quinquaginta jam anni exacti erant, ex quo suis, amicis, litteris tristi morte ereptus erat, tamen nuperrime quoque et paucis ante mortem diebus frequentem ejus mentionem faciebat: amoris in eum sui documentum posuit in libro de vita sua. Unum autem firmissimæ post hominum memoriam amicitiæ te testem habemus, mi Kriesi! Nam quum primum ante hos sexaginta annos Gottingæ in ejus notitiam venisses, cujus diei jucundissimam recordationem libenter instaurabat, non ita multo post ejus collega factus in intimam ejus amicitiam intravisti, quæ amicitia ex illo tempore tam sancte et constanter culta est, vix ut aliud par amicorum conjunctius vixerit. Per multos enim continuos annos vix ullus intercessit dies, quin te aut in scholæ spatiis aut in domo sua aut apud unum aliquem communium amicorum convenerit. Cujus quotidianæ nec unquam interruptæ, nisi ubi a patria absens esset, consuetudinis quæ fuerit ratio quamque salutarem in utrumque vestrum

habuerit vim, optime ab ipso Jacobsio expositum habemus in epistola ad te data, quum muneris semisæcularia faustissimis ominibus celebrares. In extremis litteris, quod sibi ut contingeret optavit, ut arctissimum illud, quo per tot lustra tecum conjunctus esset amicitiæ vinculum, dum viveret spiraretque, non solveretur, hujus voti compos est factus: quod tibi precatus est, ut viridis senectus tua ne te deficeret, id quoque impetravit. Sed nos amplius precamur. Nos igitur in votis habemus, optime Kriesi, ut quam diutissime te superstitem habeamus, et tua et nostra caussa, et vero etiam propterea, ut, te intuentes, in recenti eorum, quos cum aliis præsentibus tum Ferdinandum Schulzium potissimum carum sodalem nacti, cum Friderico Jacobsio, communi nostrum amico, instituimus, sermonum memoria, viva quasi et spirante præstantissimi senis, quem ex oculis sublatum frustra quærimus, imagine diutius fruamur. Vos igitur, o mei olim benevoli præceptores, post dilecti collegæ, nunc uterque cari amici, probe meministis, quam suavem et jucundum in his se nobis exhibuerit congressionibus, quanta arte sermonem ad ea quæ essent frugi deflexerit, quam nos nunquam non doctiores aut aliqua saltem cognitione auctiores dimiserit. Idque per se effectum esse adeo dissimulabat, ut, sic affecti quum ab eo discederemus,

nobis non majora tribuisse studiorum adjumenta, quam a nobis accepisse videretur.

Talem vos quoque, viri doctissimi, quos frequentes hodie convenisse gaudeo, cognovistis, quum eum conveniebatis in iis doctorum hominum conventibus, qui in nostra urbe per longum tempus quovis Mercurii die ab hora sexta haberi solebant; in quibus plurimus de litteris erat sermo, sed alii etiam miscebantur sermones remissiores hilarioresque. Meministis igitur in his circulis quanto cum desiderio exciperetur Jacobsius, sed iidem meministis etiam quam prompte huic desiderio responderit. Plurimos in hos conventus hospites adducebat. Vix unquam enim accidit, ut in urbem nostram veniret quisquam, qui nomen aliquod haberet in litteris, quin Jacobsium salutaret; hujus autem domus apertissima semper erat maximeque hospitalis. Qua in re hoc unum jure mireris, qua arte temporum suorum intervalla sic potuerit dispungere, ut, qui totus litteris abditus putaretur, tantum temporis haberet reliquum, quantum vel elegantiorum hominum circulis sufficeret. Ceterum juvenem etiam quum saltandi oblectamento se dabat, scite et eleganter membra movisse audivimus et feminis virginibusque ob saltandi peritiam gratum et lubentissime acceptum fuisse, quum choream duceret, seniores nobis tradiderunt.

Talem tamque egregium vita famaque fuisse Fridericum Jacobsium per nos scitote, o mei juvenes; per nos scitote, inquam. Pauci enim vidistis, aut, si qui vidistis, paulo alium novistis. Exhibui vobis imaginem ejus, qualis integris viribus fuit; nam extremis vitæ annis aliquantum immutatus erat. Aliquoties per nervorum remissionem, quam paralysin medici proprie vocant, ejus corpus infestatum erat, ut et pedum usum in incessu haberet impeditiorem, nec manus officio suo ut ante fungerentur; per intervalla adeo lingua, quod ipsi molestissimum erat, non suppeditabat voces quas editurus erat, nec prorumpebat sonus in verba. Hinc tardus ad exeundum raro in conspectum se dabat; aliquando, ut libero frueretur cœlo, aut unum ex familiaribus viseret, sella in curriculi formam facta vehebatur. Etiam de pristino mentis vigore remiserat. In memoriam primam senectus incurrebat. Evenit ipsi, quod plerumque solet, ut exciderent proxima, vetera inhærerent; hesternorum ac novissimorum adeo immemor acta pueritiæ recordabatur. Quum, quamdiu vires sinebant, navus et industrius fuisset et semper aliquid ageret in litteris, nunc vitam minus operosam se agere intelligebat. Et hoc solum quum alia senectutis incommoda æquo animo ferret, sæpenumero querebatur; Senecæ verborum non immemor vitam sine litteris mortem esse ajebat et hominis vivi

sepulturam. Ingravescens malum quum prævideret, labenti animæ celerem exitum precabatur. Aliquando quum ad ægrotantis lectulum accessissem, querula voce pulcherrimos versus mihi recitabat, quos sibi scriptos esse dicebat:

Aemula cur cessas finem properare senectus,
Cur in hoc fesso corpore tarda sedes?
Solve, precor, miseram tali de carcere vitam,
Mors est jam requies, vivere pœna mihi.
Non sum qui fueram; periit pars maxima nostri,
Hoc quoque quod superest, languor et horror habet.

* * *

Ergo quis has cupiat per longum ducere pœnas
Paulatimque anima deficiente mori?
Morte mori melius, quam vitam ducere mortis,
Et sensus membris sic sepelire suis.

Ad hæc quid ego senserim, facile existimetis; ipse mox requiem, quam exoptavit, reperit mortem, si omnino mortem vocare licet, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est.

ANNOTATIONES.

Veterum constans ac laudabilis, opinor, hic fuit mos, ut, quidquid scriberent, perpetua oratione nec ulla annotationum mole deformatum exhiberent. Scilicet hæc erat ipsorum ars, ut omnia quæ lectorum interesse putarent scite verbis suis intexerent; sed erat etiam hoc ipsorum temporum commodum, ut lectores istiusmodi appendice facile carerent. Nunc quum temporum ratio sit mutata, nisi qui suffarcinati cum annotationibus prodeunt libri non apud omnes gratiam ineunt. Quæ quidem quum reputarem apud animum, veterum exemplum ita ego secutus sum, ut nullis notarum signis appositis legentium aut oculos offenderem aut animos ab orationis perpetuitate averterem, sed ut aliquid tamen sæculi darem consuetudini, hoc loco subjiciendas curavi annotationes quasdam, in quibus aut tironum, qui mea lecturi essent, commodis inserviens similes quosdam veterum locos indicarem, aut omnino earum rerum, quæ in magna auditorum frequentia non poterant enucleari, uberiorem exhiberem expositionem.

*

Ad pag. 13 init. *Fridericus Jacobsius* natus est Gothæ 6 Oct. 1764, decessit ex vita in eadem urbe 30 Mart. 1847. Celebres erant funeris exsequiæ, et ipsius ducis celsissimi significatione doloris honestatæ. Verba fecit *Eduardus Jacobi*, ex cujus brevi quidem, sed diserta oratione potiora leguntur exscripta in fine hujus libelli. Doloris solatium familiæ præbuit carmine a se edito *Adolfus Bube*, ex artis poeticæ facultate clarus et exteris quoque notus. In gymnasio illustri, cujus insigne quondam fuerat decus, ejus manibus parentatum est 28 April., quo die ego oratoris munere functus sum. Luculento carmine Germanico ejusdem memoriam prosecutus est *Phil. Welcker* in frequentissimo hominum consessu, qui ad audiendas recitationes doctorum hominum in theatri nostri œcum convenire solent, die 28 Dec. 1847. Cæterum de Jacobsii vita multis referre non attinuit; ipse satis explicuit suam vitam duobus libris, altero quem inscripsit: *Personalien*, Leipz. 1840, qui idem efficit septimum volumen miscellaneorum, altero quem ab *S. F. W. Hoffmanno* rogatus hujus vitis excellentium philologorum inseruit (Lebensbilder berühmter Humanisten, p. 3—23. Leipz., bei Bœhme 1837). Præterea octavo volumini miscellaneorum a se editorum potiora, quæ per vitam sibi contigerunt observato annorum ordine enarravit. — Ex iis quæ alii de Fr. Jacobsio scripserunt legi imprimis merentur duæ *Car. Georg Jacobi* Halensis narrationes, quibus Jacobsii brevi ante mortui memoriam æqualibus commendavit in Blättern für litt. Unterhalt. 1847. Nro. 164. et Intelligenzbl. zur Hall. Litt.-Zeit. 1847. Nro. 37—40. — Apud Francogallos quum Jacobsii nomen ex longo tempore celebratissimum esset, recenti præconio prosecutus est *J. L. Schœn* in Journal général de l'instruction publique et des cours scientifiques et littéraires. Paris, Jul. 1845. Nro. 54. p. 334 seqq. Haud pauca quæ ibi leguntur debentur *Duebnero*. — Egregium autem ac verissimum, quum etiamdum inter vivos versaretur Jacobsius, laudatorem nactus est *Bernhardyum* meum in *Jahrbb. für wissenschaftl. Kritik* 1841. Nro. 46. Nimirum ex limpidissimo fonte profectæ sunt hæ laudes et sua sponte enatæ, quum de libro quo Jacobsius de rebus ad suam vitam pertinentibus exposuit referret.

Pag. 13. lin. 1. Auctor est *Plin.* nat. hist. 7, 44, 45, 144. cfr. *Val. Max.* 4, 1, 12.

Pag. 14. lin. 5. Hoc potissimum solatio et his ipsis verbis usus est *Heinrichius*, quum de Wolfii sui obitu referret in Ind. prælect. acad. Bonnens. 1824—1825. p. V.

Ib. lin. 20. Similia habes apud *Fronton* p. 148. Niebuhr., ubi doloris de nepote amisso solatia quærit.

Pag. 15. lin. 1. Hæc scripsimus, quamquam non ignari sumus, quod idem ille *Plinius* Epp. 8, 5, 2, quem secuti sumus, addit, fruendi voluptatibus crescere carendi dolorem.

Pag. 18. lin. 17. Græca quædam carmina Jacobsii edita sunt a *Mitscherlichio* in eclogis recentiorum carminum latinorum. Hannov., 1793. Exemplum Græci carminis, quod stilum non vertens exaravit, dedi in *Dœringii* Opuscul. p. 237.

Pag. 19. lin. 1. Duas commemorare licet epistolas, alteram ad *Dœringium* senem felicissimum scriptam, quo tempore tertia gymnasii sæcularia habuimus, alteram ad *Kriesium*, quum muneris semisæcularia celebraret.

Ib. lin. 6. Tironum caussa huc transferre juvat verba, quibus ante hos octoginta annos *Gesnerum* defendit adversus calumniatores quosdam homo Latini sermonis scientissimus, *Christ. Adolph. Klotzius* in præfat. ad biograph. Gotting. Tom. I. p. XIX. „Elegantis scriptoris laudem, inquit, quis ob leves quasdam maculas Gesnero eripere audeat? ... Latinæ orationis laudem, etsi a verborum puritate non sejungendam esse censeret, tamen non tam in formularum verborumque veterum repetitione, quam in felici magnarum, quas Latinorum auctorum monumenta præferunt, virtutum imitatione positam esse existimavit. Inde factum fuit, ut Gesneriani libelli suavissimam Romanæ elegantiæ imaginem referrent. Nam et totum orationis habitum ad Romanæ facundiæ exemplum conformavit, atque in descriptione universa argumenti docilem et ingeniosum veterum dicendi magistrorum discipulum se esse docuit, et urbanitatem illorum, humanitatem, leporem, elegantiam felicissime retulit, atque has virtutes non solum in singulis sententiis aut partibus ostendit, sed tota quoque oratione ita expressit, ut ipsa Attica aut Romana civitate

donatus esse videretur, sermoque Latium et ingeniosissimorum hominum contubernium redoleret et sumptam ex conversatione doctissimorum hominum tacitam eruditionem præ se ferret.“ Hæc Klotzius. Similem excusationem, si qua opus erat, paratam esse sibi voluit *Eichstadtius*,

> *chartis victurum nomen omnium,*
> *Latinis dum manebit pretium litteris,*

dum in programmate, quo latinitatem academicam deprecatus est, hæc scripsit. „Nos quidem, inquit, si profiteri hoc liceat, non pudet in scribendo perspicuitatis majorem quam elegantiæ rationem habere, ita ut sæpenumero haud inscii committamus, quæ carpendi reprehendendique copiam faciant iis, qui Ciceronianorum morem et sectam instaurare cupiunt et in oratione latina non nisi singula verba aucupantur.“ Significavit his verbis Eichstadtius eos sui reprehensores, qui, quum *Noltenii* vel *Krebsii* Antibarbaros, *Ramshornii* et *Dœderlinii* opera de vocabulorum differentiis,

> *multos præterea, quos fama obscura recondit,*

lectitassent, imo legendo contrivissent, Latii fines se peragravisse sibi viderentur; nimirum didicerunt hoc, ut singula quædam verba in iis quæ probatissimi recentioris ætatis scriptores emisissent, non sine accuratæ doctrinæ specie quadam exagitarent. Qui ita agunt,

> *faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.*

Nam id pro certo affirmare ausim, istiusmodi homines, qui suam latinæ orationis facultatem recentiorum dumtaxat grammaticorum vel lexicographorum præceptis, quamquam suam his quoque utilitatem non deesse concedimus, relatam debent, vel intentissimo studio non eo pervenisse, ut vel unam periodum (sciens hanc vocem pono) extundant, quam Eichstadtius pro sua agnoscere velle videretur. Scilicet vetus est cantilena eorum

> *qui facere quæ non possunt, verbis elevant.*

Quæ quum ita sint,

> *hujus æmulari exopto negligentiam*
> *potius quam istorum obscuram diligentiam.*

Non novum autem est id genus hominum, siquidem fidem habe-

mus *Aulo Gellio*, qui nobis sic refert in Noctt. Att. 5, 21. „Reprehensores audaculi verborum, inquit, qui perpauca eademque a vulgo protrita legerunt, qui habent nonnullas disciplinæ grammaticæ inauditiunculas, partim rudes inchoatasque, partim novas, eas, quasi pulverem, quum adoriuntur quemque adspergunt.“ Præter illos, quos modo designavi, singulorum verborum castigatores longe doctior nuper exortus est homo, qui in Eichstadtium acerbissime invectus omnem ejus orationem ita in reprehensionem vocavit, ut eam ab aureæ ætatis elegantia procul abesse contenderet. Quo conatu indoctis imperitisque imponi potuisse non miror; his quidem, ut nunc non per singula eam, id dictum esse volo, eodem jure et, quod majus est, feliciore successu omnes Ciceronis orationes eas, quas genuinas esse inter omnes constat, impugnari posse. Sic, ut luculento aliquo exemplo defungar, latine perquam doctus homo, *Benjamin Weiske*, ut calumniam, qua Marcellinam orationem Ciceroni suppositam esse contenderat *Frid. Aug. Wolfius*, eluderet et injustas illius obtrectationes uno quasi ictu prosterneret, haud inficeto probationis genere usus in Ligariana oratione, quæ una omnium Ciceronis orationum minime dubia habetur, tam multa dictionis vitia inesse adeo speciose ostendit, ut, qui Weiskii ludum jocumque non cognitum habeat aut qui non suo judicio utatur, facile sibi imponi patiatur. Verum quid de eo dicam? quod idem ille injustus justarum Eichstadtii laudum obtrectator hunc turpiter ubique lapsum et fœdo atque inquinato dicendi genere usum esse contendit, quale fuisse putandum est tunc, quum extrema barbaries

Tartaream intendit vocem, qua protenus omne
Intremuit Latium.

Nolite, quæso, vos, quicunque hæc legitis, mirari id nostra ætate tentatum esse; similia jam vidit ipsa antiquitas. An quis nescit Paronem quendam exstitisse, qui *Publium Virgilium Maronem*, at *Maronem* inquam, latine nescire contenderet urbanissimumque poetam rusticorum more loqui calumniaretur, elegantissimis verbis ita inversis:

Dic mihi, Damœta, cujum pecus? anne latinum?
Non, verum Aegonis; nostri sic rure loquuntur.

— His unum est quod addere cupiam. Nullam ego per omnem vitam Eichstadtii gratiam expertus sum, semel modo videre eum mihi contigit.

Pag. 19. lin. 24. Est illa εὐστοχία, quæ maxime in *Richardo Bentlejo*, *Nicolao Heinsio* et paucis horum similibus effulget et qua non est fortasse aliud majus ac certius felicioris ingenii argumentum. Recte autem *Ruhnkenius*, quod narrat Wyttenb. vit. p. 221, emendationum conjecturas, nisi sponte et subito, facili certe partu natas non probabat; quæ conjectoris cogitationem diu exercuissent, has *vultum nitentis* habere ajebat, quod Suetonius dixit de Vespasiano. Similiter de *Gesnero* refert Ernestius (narratione p. 325): „Cum in nodum difficilem, inquit, inciderat, ut in emendando, interpretando, fere in prima intentione ingenii occurrebat, quod quæreret; ubi res non processerat, simul iterumque tentando ultra non quærebat. Neque enim vim faciendam esse ingenio; elicienda esse, non exprimenda, quæ probare perito et eleganti judici velis; quæ nimis laboriose quæsita sint, vultum nitentis habere; his ipsis verbis, per jocum, utebatur." Quod in bono critico desideratur, hoc ipsum est quod in *L. Vinicio* laudat *Senec.* Controv. 13. p. 184 Bip.: „quicquid longa cogitatio alii præstatura erat, huic prima intentio animi dabat." Ceterum non negamus etiam Jacobsium, licet felicissimum jure habeamus criticum, nonnunquam a vero aberrasse. Qui hanc aut Jacobsium aut ipsam artem reprehendendi habent ansam aliquam, iis respondeo *Ciceronis* (de divin. 1, 14) verbis: „Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ conjectura continentur et sunt opinabiles." Ipse Jacobsius qua erat modestia nunquam confidenter pronuntiabat de conjecturis suis, imo justo dubitantius de iis referebat. Sic in epistola ad Meinekium, quæ lectt. Stobens. præfixa est, „conjecturas, scripsit Meinekio, me dare velim cogites; non correctiones, aut certas emendationes, quales in locis misere depravatis meliorum librorum ope destitutus vix protuleris."

Pag. 20. lin. 10. Plurima exempla habes in commentatione quæ subjecta est Lipsiensi repetitioni *Adversar. Porson.* p. 306 seqq.

Ib. lin. 11. Plurima exempla dedit in Additamentis ad Athenæ. p. 128 seqq.

Pag. 20. l. 24. Factum id quum alibi, tum in Stobens. lectt. p. X.

Pag. 21. lin. 16. pag. X.

Pag. 22. lin. 19. Tradit rem *Eustath.* ad Od. V, 72.

Pag. 23. lin. 2. Diatrib. crit. p. 6.

Ib. lin. 5. Sunt verba *Quintiliani* Institutt. 2. 1, 22.

Ib. lin. 14. Expressa est hæc commentatio in *Ukerti* Geogr. Gr. et Rom. Tom. I. P. II. p. 351, repetita legitur in *Jacobs* Verm. Schrift. Tom. V. p. 517—542. — Altera quam commemoravimus commentatio de prologo Danaes inserta est *Wolfii* Analect. litt. Fascic. IV. p. 392—420, eadem repetita in Verm. Schrift. Vol. V. p. 607—635.

Ib. lin. 17. Disquisitionem illam, qua epigramma notissimum Philodemo suppositum esse certissimis argumentis evicit, primum edidit in *Wolfii* Anal. Litt. Vol. I. p. 557 seqq., tum recudi curavit in Verm. Schrift. Tom. V. p. 264—291.

Pag. 24. lin. 2. Juvenum caussa, qui hæc forte lecturi sint, *Wyttenbachium* hæc scribenti in animo fuisse fateor, qui de Ruhnkenio loquens (in vit. Ruhnk. p. 220), hanc facultatem, inquit, ita tenuit *Ruhnkenius*, ita scriptoris cujusque formam rationemque animo perceptam impressamque habuit, ut non modo spuria quævis primo obtutu animadverteret, sed multis multorum scriptorum locis sine illorum nomine deinceps positis, veluti in Stobæo, sentiret continuo, cujus scriptoris quisque locus esset et in Anthologia epigramma *quodcunque* auctoris nomine omisso extant, semel eo lecto statim intelligeret, non solum qua ex ætate, antiqua, media an postrema, sed quod longe majus, cujus poetæ esset, ex eo adeo genere, cujus non nisi paucissima supersunt epigrammata, quorum proinde quod cujusque sit difficillimum est judicare. Scilicet discipulus quæ a præceptore audiverat, ut solet fieri, exaggeravit. *Ruhnkenius* enim de Hemsterhusio (vit. p. 51) sic: „Tametsi quis poterat fallere illum sensum et natura sagacissimum et multo litterarum rerumque usu callidissimum? Tenebrio nobili scriptori fœtum suum subjecerat? Statim fraudem certis vestigiis tenebat. Versificator magnorum poetarum versibus furtim interposuerat suos? Spurios configebat.“ Ad illa Wyttenbachii verba optime *Bœckhius*

in libro, qui inscriptus est: Græcæ tragœdiæ principes etc. p. 123: „Credat Judæus Apella, ne quid dicam acerbius. Peccavit Ruhnkenius in assignandis suo auctori totis operibus; vide modo Hermann. in Orphicis p. 680. quis vere dixisse de fragmentis et epigrammatis laudatorem putet? Si ea fuit eximii sane viri sagacitas, cur ut hoc unum afferam in Nott. ad Tim. lex. p. 9. Sophocli fragmentum tribuit, quod aut Aeschyli est aut Euripidis?... Quæ quum ita sint, ne Ruhnkenium quidem credo perfecturum fuisse, quod omnino superat humanas vires, ut ex sola poetæ indole exiguarum reliquiarum auctorem agnoscas, eumque ab simili ejusdem ætatis ac sectæ scriptore distinguas.“ Cæterum juvabit meminisse antiquitus non defuisse homines, qui parem divinandi artem se habere gloriarentur. Accipe, quæ *Cic.* ad fam. 9, 16 tradit. Ipse Cæsar, inquit, habet peracre judicium; et ut Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret: hic versus Plauti non est, hic est; quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum et consuetudine legendi etc.

Pag. 24. lin. 5. Res nota. Lepide narrat *Tholuck* in libro, quem inscripsit: Die Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte, pag. 121. seq.

Ib. lin. 18. Cfr. *Macrob.* Sat. 1, 24. p. 325 Bip.

Pag. 25. lin. 10. Vid. *Ruhnken.* elog. Hemsterh. pag. 39.

Ib. lin. 11. Picturæ linearis adeo erat sciens, ut, etiamsi sine magistro didicerat, vel peritioribus artem suam probaret. Jam puerum huic arti operam se dedisse et mercedulam quandam ex ejus exercitio lucratum esse sæpe jocans referebat, hac addita narratione. Fuisse juvenem in nostra urbe, cui fortuna affluentes divitias indulsisset; in hujus gratiam cum fratre suo Guilelmo, de quo lege quæ in *Personal.* s. Verm. Schrift. Vol. VIII. p. 151. dicta sunt, brevem libellum de animalium natura composuisse, opera ita partita, ut frater succinctam animalium descriptionem confecisset, ipse eorum imagines variis coloribus depictas exhibuisset. Juvenem de quo diximus ea liberalitate fuisse, ut ternos utrique fratri thaleros daret.

Ib. lin. 24. Fuit hoc jam *Quintiliani* judicium. Vid. Instit. 12, 11, 22.

Pag. 26. lin. 7. Ipse *Jacobsius* sic de se retulit in Epistol. ad Kries. pag. 23.

Pag. 27. lin. 7. Quam peritus fuerit *Jacobsius* Anglici sermonis, satis ostendit utilissimus liber ex Anglico sermone in patrium conversus: *Atheniensische Briefe, aus dem Englischen mit Anmerkungen,* 2 Bde. Lpz. 1799—1800.

Pag. 28. lin. 14. *Demosthenes Staatsreden und Rede für die Krone.* Lpz. 1805; 2. Aufl. 1835.—Uebersetzung der *Anthologie,* erst unter dem Titel: *Tempe,* 2 Bde. Leipz. 1803, dann verbessert in Vermischt. Schrift. Tom. II. III.— *Vellejus Paterculus,* Lpz. 1793.—Die griechischen *Romanschriftsteller* und *Philostratus* für die von *Osiander* und *Schwab* besorgte Uebersetzung griech. Prosaiker. — Mehrere Schriften von *Cicero* in der von *Klotz* begonnenen Uebersetzung der Werke des Cicero.

Ib. lin. 23. Præ aliis apponere juvat verba *Hieckii,* cujus magna est in his rebus auctoritas. „Jacobs, so heisst es bei *Hiecke* über den deutschen Unterricht auf Gymnasien S. 111, in seinen edeln, reichen, warmen Abhandlungen, die sich in lauter den Schülern zugänglichen Anschauungsweisen bewegen, kann auf den deutschen Ausdruck nicht anders, als vielfach bereichernd, belebend und erregend einwirken.“ *Hillebrand* im 3. Theil der deutschen Nationalliteratur, p. 189 sagt: „Jacobs hat, abgesehen von der thätigen Förderung antiker Studien durch Unterricht und philologische Arbeiten, seine umfassende Alterthumskunde in anziehendem deutschen Ausdrucke mehrseitig dargestellt und die Bilder antiker Sitte und Kunst für die Gegenwart anschaulich belebt. Seine vermischten Schriften bieten in dieser, wie in Hinsicht auf Behandlung ästhetisch-literärischer Fragen überhaupt die trefflichsten Muster nach Bildung und Stil. Seine Productionen im Gebiete der Novellistik empfehlen sich durch sittliche Haltung und Reinheit der Form.“ — Cæterum ipse *Jacobsius* indicem libellorum Germanice a se scriptorum exhibuit in Personal. pag. 500.

Pag. 30. lin. 24. Vid. Verhandl. des Dresdener Philologenvereins p. 11.

Pag. 31. lin. 10. His ipsis verbis usus est in Stobens. lectt. pag. XII.

Pag. 31. lin. 15. Vid. Lect. Stob. p. XII.

Ib. lin. 17. Præfat. ad libr. de metr. poet. Gr. et Rom. 1796. p. 6. Eandem reprehensionem in seq. libri editione suppressam esse lætabatur. Cfr. *Personal.* p. 335. — Cæterum per omnem vitam conjunctissimus vixit cum Hermanno et frequens habuit cum ipso litterarum commercium. Juvat hic cum lectoribus communicare tres novissimas Hermanni ad Jacobsium epistolas, quæ, ut huic gratissimæ fuere, ita quo ille in Jacobsium fuerit animo satis testantur.

1.

Innig hat mich der Brief gerührt, mit dem Sie gleichsam von mir Abschied nehmen. Ich würde ihn sogleich beantwortet haben, wenn ich Ihnen nicht das zugleich mit den Considen des Plautus eben fertig gewordene Programm hätte einschliessen wollen. Nehmen Sie auch diese Kleinigkeit mit der Güte, von der Sie mir so viele Beweise gegeben haben, auf. Nicht Sie haben mir, sondern ich Ihnen zu danken für die vielfache Belehrung und den grossen Genuss, den mir Ihre stets gelehrten, scharfsinnigen und geistreichen Schriften gewährt haben. Diese dankbare Gesinnung werde ich hegen, so lange ich noch zu leben habe, und stets werden Sie mir als ein Muster wahrer Humanität, dem ich kein anderes an die Seite zu setzen wüsste, vorschweben. Oft sehe ich Ihr Bild, das in meinem Arbeitszimmer hängt, an, und tiefer noch steht es in meinem Herzen eingegraben, dem es immer ein unerreichbares Vorbild bleiben wird. Nehmen Sie in diesen Worten die Versicherung meiner unvergänglichen innigsten Verehrung an. Leipzig, den 6. Juni 1845.

2.

Von Kösen zurückgekehrt, wo ich mich einige Wochen aufgehalten habe, finde ich die freundlichen Worte, mit denen Sie mir zum Abschiede noch Ihr liebevolles Wohlwollen versichern. Nichts könnte mir theurer und rührender sein, könnte ich doch von meinen Tagen den Ihrigen zusetzen, die so reich an den herrlichsten Früchten gewesen sind. Es ist ein beneidenswerthes Loos, auf ein langes stets in allen Beziehungen segensreiches Leben zurücksehen zu können. Das Bewusstsein, so vieles

gewirkt, so Vielen Belehrung und Genuss verschafft, so Vielen ein Muster erfolgreicher Thätigkeit und wahrer Humanität gegeben zu haben, muss den Abend Ihrer Tage erheitern, und Ihnen die Gewissheit gewähren, in dankbarem Andenken der Nachwelt fortzuleben und fortzuwirken. Auch mir sind Sie ein Vorbild und in treuem Herzen werde ich mich stets freuen, einen Mann zum Freunde gehabt zu haben, den ich von Grund der Seele verehre, wie man nur Jemand verehren kann. Möge diese Versicherung Ihnen ein Zeichen meiner unvergänglichen Dankbarkeit sein. Leipzig, den 1. Oct. 1845.

3.

Innigst rührt mich Ihr, wie Sie sagen, letztes Lebewohl am Schlusse eines Lebens, das Sie mit vollem Recht ein glückliches nennen. Denn was könnte beglückender sein, als auf ein Leben zurückzublicken, das in seiner langen Dauer nur überall herzliche Freunde und wahre Verehrer gefunden hat. Ich schätze mich glücklich, unter diese von Ihnen gezählt werden zu dürfen, und es wird mir für die wenigen Jahre, die mir wahrscheinlich zu leben noch vergönnt sein können, die angenehmste Erinnerung gewähren, eine so freundliche und wohlwollende Gesinnung von dem Manne erfahren zu haben, den ich stets für mich als ein Vorbild wahrhafter Humanität verehrt und als ein solches Andern vorgestellt habe. Möge diese Versicherung noch ein Zoll der innigsten Dankbarkeit sein, die ich Ihnen schuldig bin, und, wenn das, wie schmerzlich mir auch dieser Gedanke ist, das letzte Wort von mir zu Ihnen sein sollte, es Ihnen noch einen heitern Augenblick gewähren. Dem mir stets unvergesslichen etc. Leipzig, den 23. Mai 1846.

Cæterum Jacobsii quotiescunque litteræ ab Hermanno accipiebat, mirifice lætabatur. Quum novissima ejus epistola, mense Majo 1846 scripta, allata esset, me vocari jussit. Quum sine mora præsto essem, recte agis, inquit, quod propere venisti; lætare mecum, en, lege Hermanni litteras, ut semper eundem mihi se præbet. Lege modo et transscribe, ut si forte tristiori casu, quem homines non satis cavere possunt, interciderint, exemplum habeas. Narra Hermanno, si eum Jenæ (quo philologi conven-

turi erant) videris, ejus litteris mirifice me recreatum esse, sed narra ultimas futuras fuisse. Hæc suppressa voce et lacrimans. Nec Jacobsium sua fefellit opinio, fuerunt ultimæ hæ litteræ. Ego vero eorum quæ Jacobsius mihi mandavit interpres fui apud Hermannum, quem quum singula audiret haud parum animo commotum vidi. — Quomodo affectus fuerit Hermannus, quum nuntium de Jacobsii morte accepisset, intelliges ex his illius litteris.

4.

Obgleich ich schon seit längerer Zeit das Ableben des trefflichen, innigst verehrten Jacobs erwarten musste, hat mich die Nachricht von seinem Tode, die Sie mir zu melden die Güte gehabt haben, höchst schmerzlich ergriffen. Wenn ein Mann, wie dieser aus dem Leben austritt, der in der langen Zeit seiner Laufbahn nach allen Seiten hin nicht blos durch seine unermüdliche Thätigkeit die trefflichsten Früchte hervorgebracht, sondern auch durch seinen Character überall ein Vorbild der edelsten Gesinnung und reinsten Humanität war, ist es, als ob ein hellleuchtender Stern am Himmel erloschen wäre und man nur noch die dunkele Stelle erblickte, die man nicht ohne Sehnsucht nach dem Lichte ansehen kann. Aber eine solche Sehnsucht in dem Herzen Aller, die ihn kannten, zurückgelassen zu haben, ist zugleich das ehrenvollste Zeugniss für sein Leben und der schönste Trost, der den Seinigen bleibt. Empfangen Sie denselben und theilen Sie die Versicherung meiner innigsten Theilnahme an Ihrem Schmerz, und des liebevollsten Andenkens den Ihrigen mit, das ich dem theuren Verstorbenen stets bewahren werde. Mit dieser Gesinnung etc. Leipzig, den 2. April 1847.

Pag. 31. lin. 20. Prodiit in Ephem. Jenens. anni 1810. N°. 156. 157. Sæpenumero ex Jacobsio audivi, quam ægerrime hanc censuram tulerit. Licet unus modo auctor nomen subscripserit, conjuncta tamen plurium, qui malevolo in se essent animo opera factam esse Jacobsio persuasum erat. Cæterum quod idem (Verm. Schrift. Tom. VIII. p. 345) scribit paud parvum in re adversa solatium sibi paratum esse ex honorificio Heynii de illis additamentis judicio, hoc spectat ad hujus litteras, die 9. Nov.

1809 ad Jacobsium datas. En ipsa verba quæ ex litteris huc transscripsi: „Dass Ihr Geist seinen Schwung erhält, sehe ich mit Freude und Bewunderung an Ihren Additam. ad Athenæum; ein ganzes Füllhorn feiner und glücklicher Critik, eine φιάλα οἰνοδόκος χρυσῷ πεφρικυῖα.“ Ultima verba ex Pindaro sumpta Isthm. 1, 6, 59.

Pag. 32. lin. 15. *Dindorfii* editio prodiit Lipsiæ anno 1832. Sic totum Euripidem Jacobsii observationibus et emendationibus illustratum habituri eramus, nisi officiosissima amicitia motus cessisset *Danieli Beckio*. Rem a Jacobsio mihi sæpenumero narratam refert *Duebnerus* in dedicatione ad Christ. patient., ubi haud infaceto lepore Beckii nomen Plautinum illum Sagaristionem sic prolaturum fuisse dicit: *Omniincipides Nihilabsolvides*.

Ib. lin. 17. *Frid. Duebnerus*, meus quondam discipulus, post collega gratissimus, nunc amicus integerrimus, hanc eximiam Jacobsii in se liberalitatem non uno in loco prædicavit. In animadversionibus criticis de Babrii fabulis, quibus Jacobsio „annos octoginta cum omnium laude, eruditorum admiratione feliciter transactos gratulatus est,“ hæc scripsit: „His tantis thesauris, inquit, præest animus candidissimus, liberalissimus; cuique bonis artibus addicto patent scrinia tua inexhausta. Sic mihi non solum sponte huc misisti notas criticas acumine et doctrina luculentissimas et copia maximas in Anthologiam, Libanium, Plutarchum, alios, sed coram beatis illis diebus octobribus, quos tecum agebam, offerebas magnam voluminum ineditorum seriem. Quæ sine exemplo liberalitas est et cumulum addidit pietati meæ, dudum firmiter nixæ in animi tui admiratione, omni virtutum genere ornati et humanarum rerum ineffabiles gazas summa cum suavitate usque recludentis.“

Pag. 33. lin. 3. Legitur hæc censura in *Seebode* et *Jahn* Neuen Jahrbb. der Philol. Vol. 1. Fasc. 3. pag. 261 ff. 1831.

Ib. lin. 23. Semel tantum admodum juvenis certationem de re quadam docta ita habuit, ut ipse pugnandi causam inferret. Quæ res quum aliis parum sit nota, ab ipso autem Jacobsio mihi plus semel narrata, hic referam. Scilicet erat apud nos verbi divini minister, haud indoctus quidem, *Jac. Frid. Schmidt*,

Horatii odis in patrium sermonem conversis et enarratione illustratis satis clarus. Is quum alios se doctiores haberi ægre ferret, quod *Mansonis*, quocum Jacobsius arto amicitiæ vinculo erat junctus, nomen a multis prædicari videbat, libellum edidit, quo illum in magna litterarum ignorantia versari se ostendisse sperabat; in temeritate autem usque eo progressus erat, ut libellum, quo Mansonem lacessiverat, simulatque evulgatus erat, in nostra urbe ostiatim distribueret. Hoc amici caussa non ferendum arbitratus Jacobsius tanquam alterum *Bupalum*, hoc ipso nomine usus, Schmidtium perstrinxit, ipsumque, qui præ lascivia amicum ridentium circulis proposuisset, deridendum propinavit. Quum Schmidtius jam pro aris focisque sibi pugnandum esse arbitraretur ac novum in Jacobsium libellum editurus esset, *Ernestus secundus*, dux Gothanorum, cujus animus ab ejusmodi contentionibus abhorrebat, utrique silentium imposuit. Brevem Jacobsii libellum, quem acerbis salibus refertum fuisse facile credideris, ego nunquam vidi; ipse videtur oblivioni tradere voluisse.

Pag. 34. lin. 12. Vid. Jacobs. Verm. Schrift. Tom. VII., qui idem inscriptus est: *Personalien*, pag. 381 seqq.

Ib. lin. 17. Ad instar *Pomponii Attici Corneliani*. V. vit. Att. 9.

Pag. 35. lin. 2. Velut præfat. ad Stobæ. p. XI., alibi.

Ib. lin. 9. Vid. Vermischte Schrift. Tom. VIII. p. 6. Tom. VI. p. 583. Tom. VII. p. 335. — Omnino eorum qui iniquum aliorum experti essent judicium patronum usque adeo se obtulit, ut justitiæ plenus vel iis qui jampridem mortui essent eandem opem ferret. Sic *Iccii*, quem plerique Horatii interpretes hominem et sordide avarum et stultum fuisse criminati sunt, patrocinium egregie suscepit in Lectt. Venus. p. 3; sic ipsum *Horatium* ab humilis adulationis, in quam a multis vocatus est, suspicione vindicavit in iisdem lectt. Venus.; sic adversus non absimilem criminationem purgavit *Vellejum Paterculum*. Vid. præfat. ad vers. German., *Personal.* p. 353 seqq.

Ib. lin. 21. de quibus exposuit in *Person.* p. 139.

Pag. 36. lin. 12. Horum librorum indicem ipse dedit in vol. octavo Miscellan. oper. p. 341 et seqq. Novissimum donum,

cujus in illo loco mentionem facere non potuit, accessit *Frid. Duebneri* Christus patiens, Ezechieli et Christianorum poetarum reliquiæ dramaticæ, ex codicibus emendatæ et annotatione critica instructæ. Parisiis, apud Didot. 1846.

Pag. 38. lin. 3. Tabula votiva apud Mannhemienses *Jacobsio* consecrata his verbis est concepta: Q. B. F. F. Q. S. Virum illustrissimum doctissimum gravissimum Fridericum Jacobs, serenissimo Saxonum duci a consiliis aulæ intimis, bibliothecæ Gothanæ præfectum etc. etc., philologiæ Germanicæ non annis magis quam eloquentia Nestorem, cujus ab ore utriusque linguæ deliciæ melle dulcius fluunt, sinceræ humanitatis sacerdotem eundem vivumque exemplar, quo nemo felicius auream antiquitatis venustatem et dicendo et sentiendo expressit, vastosque eruditionis thesauros cum hodiernorum morum elegantia incomparabili temperamento conjunxit, postquam neque itineris longinquitate, neque senectutis incommodis deterritus est, quominus iis, quos dudum scriptorum suorum dulcedine demulserat, etiam vultus ac consuetudinis suæ fructum impertiret, conventus philologorum Germaniæ inexspectatum vel potius cum summa omnium exspectatione ac desiderio advenientem, tanquam parentem ac patronum suum salutat, ad declarandum, quantum sibi cordi sit, ut optimarum artium doctrina ipsius exemplo sine invidia partiumve studio ad unam veri boni pulcri normam dirigatur, neque solum ingenia excolat, verum etiam mores emolliat animosque inexpleta novarum rerum cupidine irretitos ab antiquæ dignitatis simplicitatis sanitatis modum retrahat. P.P. Mannhemii prid. Cal. Octobr. A. MDCCCXXXIX. Vid. *Verhandlungen der zweiten Versammlung deutscher Philol.* p. 39. — De magno *Jacobsium* præsentem venerandi desiderio, quo Germaniæ philologos affectos fuisse dicit auctor, noli dubitare. Anno ante quum ego Ukertus Rostiusque ad primum philologorum conventum qui Norimbergæ habitus est profecti essemus, in ultimo consessu ornatissima oratione, qua discedentibus suorum popularium nomine valedixit, nos Gothanos ita allocutus est *Nægelsbachius*, rara doctrina morumque probitate conspicuus homo: „Utinam rata fuisset, inquit, quæ certissima videbatur affulsisse

spes, futurum, ut duumviros præsentes venerari liceret, *Fridericum Niedhammerum* ...., deinde vestrum, eruditissimi Gothani, vestrum autem, imo totius Germaniæ decus, *Jacobsium*, cui raro sane exemplo contigit, ut omnes ætates institutione atque disciplina sua complecteretur, et sicuti pueris atque adolescentulis, ita viris ad græce discendum atque omnem elegantiam dux et signifer esset.“ Vid. *Verhandlungen* der ersten Versammlung der Philologen, p. 51.

Pag. 38. lin. 6. Litterarum, quæ *Godofredo Hermanno* suadente ad Jacobsium publice sunt missæ, auctor est *Mauritius Haupt*, professor Lipsiensis; his autem verbis sunt perscriptæ: Q. B. F. F. Q. S. *Fridericum Jacobsium*, philologorum Germanicorum virum primarium, Græcæ Romanæque antiquitatis interpretem doctissimum sagacissimum elegantissimum, veterum librorum emendatorem ingeniosissimum, juventutis liberaliter erudiendæ artificem perfectissimum, litterarum antiquarum omnisque humanitatis contra barbariem tuendæ antesignanum fortissimum, pridie Nonas Octobres A. MDCCCXXXXIV annum ætatis LXXXI ingredientem philologi Dresdæ congregati absentis cum desiderio memores, utque senectutis virtute meritis laude ornatissimæ placida felicitate diu fruatur, vota pie nuncupantes his litteris consalutant. — Vid. *Verhandl.* der Philol. zu Dresden, p. 11. — Cæterum tam tabula votiva apud Mannhemienses dedicata, quam litteris Dresdensis conventus adeo est delectatus, ut utrasque in forma lignea inclusas et vitro munitas de conclavis pariete suspensas haberet et extremo vitæ tempore, quum gravioribus negotiis conficiendis impar esset, libenter subinde et cum grata eorum quibus deberet recordatione contemplaretur. — Sed ejus gaudii non habuit usuram, quod ei paraturus erat grato animo insignis juvenis *Eduardus Kœhlerus*, apud Genevenses nunc degens, eleganti carmine, quod Jacobsii die natali anno 1843 composuit; post obitum demum ejus, cui dedicatum est, evulgatum est in *Jahn's* Jahrbb. für Philol. Suppl. Vol. VIII. Fascic. 2. pag. 319. Juvat hoc loco illud carmen apponere, tam ob ipsius elegantiam, quam ob benevolam auctoris in Jac. mentem.

FRIDERICO JACOBSIO.

Die natali, 6. Oct. 1843.

Exul ab Helveticis, patriæ non immemor, oris
Votivas placido flamine mitto preces.
Scilicet Octobres sequitur quæ sexta Calendas
Lux Tibi natalem rursus adesse monet.
Hunc ajunt natos inter gratosque nepotes
Festum lætitiæ fervidioris agi.
Hunc scio nobilium quantus virtute virorum
Non intermisso tollat honore favor,
Seu qua magna bonas Germania protulit artes,
Seu Tua qua Gothula est laudibus aucta Tuis.
Nostra nec absentis quædam munuscula deerunt,
Quæ licet haud niteant, posse placere reor.
Nam pietas studiumque Tui si parva tulere,
Tu prope pro magnis ducere parva soles.
Nolo tamen studii magno speciosus hiatu
Aut cumulum aut fontes explicuisse mei.
Te quod amo, nihil est quod quis Tibi ducat honori,
Ipse mihi decori duxero, Te quod amo.
Hoc satis est, a me pariter Te credere amari
Ac si Tu fueris doctor, alumnus ego.
Quamquam, si quærens repeto a puerilibus annis,
Quis, quæ tum didici, ductor ad illa fuit?
Te nisi pœniteat, vero sic ore fatebor:
Sane ego discipulus, Tuque magister eras.
Nomine non alio, Jacobsi, mitto salutem,
Quam me ferre ipsum fata molesta vetant.
Hoc titulo usque senem senior Te prosequar; at Tu
Propitius rebus perge favere meis.

Pag. 39. lin. 5. Confer quæ de hac re ipse retulit in *Personal.* pag. 302.

Pag. 40. lin. 19. Omnino animus digno domicilio inclusus erat. Corporis forma fuit, inprimis quum ætate adhuc esset integra, admodum venusta; membra erant bene compacta, firma, concinna, nec deerat eorundam grata quædam facilitas atque agilitas. In incessu et omni motu corporis elegantiam quandam conspicuam fuisse dixerim, ut non mireris hoc quoque nomine *Jacobsium* juvenem puellis feminisque commendatum fuisse. Ab audiendi quidem facultate, etiam quum integra esset ætate, minus

instructum fuisse jam supra dixi; ab omni tamen sui ab aliis irrisi suspicione alienissimus erat, a qua qui graviorem auditum habent raro solent liberi esse. Visu usus est satis bono; nam et satis prospiciebat procul, et prope acriter poterat cernere; senex adeo minutulas litteras ad stuporem legebat. Verissimam ejus imaginem præbet effigies, ab ipsius filio, artis pingendi scientissimo facta, quæ a familia servatur. Oris lineamenta bene expressa sunt in ea quoque imagine, quæ frontem Vol. VII. operum miscellaneorum ornat, nisi quod comitas illa et hilaritas desideratur, quæ in ipso inerat. Præterea anno 1842 ab artifice rogatus nummum excudi passus est Jacobsius, qui ejus effigiem accurate expressam repræsentat; in adversa parte conspicitur imago quam simplex *Friderici Jacobsii* nomen cingit; in aversa hæc leguntur verba: *Bonarum litterarum cultor, natus Gothæ anno* MDCCLXIIII. *die* VI *Oct.*, quæ verba laurea corona inclusa tenentur. Formam fecit *Helfrich*, nummorum cudendorum apud nos artifex ex arte sua etiam apud exteros clarus factus. Tandem imaginem vera specie ampliorem ex marmore fecit et gypso sæpius repetitam vulgavit *Kochius*, statuarius in nostra urbe satis spectatus. Kochii quoque signum similitudinem servat.

Pag. 41. lin. 10. Verissime *God. Hermann.* in litteris ad Frid. Jac. datis d. d. 26 Maj. 1828, sic scripsit: „Um vieles, aber besonders möchte ich Sie theils um Ihre Musse, theils um die Kunst Ihre Zeit einzutheilen beneiden.“ Gravissimus utique testis, quippe qui in prudentissima temporis parsimonia per longam vitam ipse plurima promoverit atque effecerit.

Pag. 42. lin. 19. Locus legitur in Instit. 12, 11, 19.

Pag. 44. lin. 7. Vide *Jacobs und Ukert Beiträge zur ältern Litteratur*, Fasc. I. p. 51.

Ib. lin. 21. Vid. ib. p. 61.

Ib. lin. 24. Vid. eundem librum pag. 54.

Pag. 46. lin. 4. Vid. *Ernesti* opuscula rhet. pag. 320, Eloquent. Viror. narrat. p. 30. ed. Frotscher.

Pag. 48. lin. 4. Fuit is dies 29 Aug. 1835, cujus celebrandi caussa *Schulzius* historiarum professor orationem ex hoc loco habuit, quæ eadem vulgata est. — Elegantissimum huc trans-

scribere juvat carmen, quo *Bœttigerus* (vid. ejus opusc. p. 599) hunc diem celebravit; quod ut recte intelligatur, tenendum est, Bœttigerum veteri amico Dresdæ in itinere deversanti lacrimæ Christi poculum libavisse.

Ex quo, Jacobsi, patuit Tibi prima cathedra,
Sunt bis quinque hodie lustra peracta Tibi.
Declinasse juvat plausus, lætumque tumultum,
Quo celebrare cupit gaudia Gotha senis.
At plaudit Tibi lætanti Germania tota,
Plaudit Dresda favens, hospitioque fovet;
Arridensque seni vetulus notusque columbus,
Bœttigerus senior, brachia tendit amans.
Amplexans fudi lacrimam. At melior Tibi spumet
Nunc lacrima, in saxis orta, Vesuve, Tuis.

Pag. 48. lin. 11. Vid. Verm. Schrift. Tom. I. p. 87. *Dœring.* Opusc. pag. 242.

Pag. 49. lin. 18. Vermischte Schriften I. pag. 93. — Idem quod Jacobsius sensit vir magni nominis *Barth. Georg. Niebuhr,* cujus verba apponere juvat. „Das Amt eines Schulmanns ist vollkommen ehrwürdig, und ungeachtet aller Uebel, die seine idealische Schönheit stören, für ein edles Herz wahrlich einer der glücklichsten Lebenspfade.“ S. *Niebuhrs* Brief an einen jungen Philol., herausgegeben von *Jacob,* p. 128.

Ib. lin. 23. Vid. *Dœr.* Opusc. pag. 248.

Pag. 50. lin. 12. Leguntur hæc verba in *Dœr.* Opusc. loco indicato.

Pag. 51. lin. 8. Qualem esse vult præceptorem *Senec.* in Epist. 108.

Ib. lin. 21. loco dicto pag. 420—426.

Pag. 52. lin. 6. Hæc ipsa migratio Monachium suscepta multos labores, multas ærumnas Jacobsio peperit. Operæ pretium est audire quæ ipse Jacobs. hac de re ad Hieronym. de Bosch scripserit, quocum arctiorem aliquam conjunctionem habuit, ex quo Anth. Græcam edere susceperat. Litteræ sunt mense Novembr. 1809 scriptæ. Domicilii mutatio, hæc sunt Jacobsii verba, rationes meas litterarias tantum non omnes turbavit. ....

Conditione Monacensi accepta, multa secuta sunt, quæ tranquillum meum vitæ cursum interrumperent; itinerisque per hiemem cum conjuge et liberis omnique supellectile incredibilis molestia; dolor ob amicos relictos longe gravior et acerbior, quam credideram; vitæ commutata ratio; multa alia, quæ sub diverso cœlo, inter homines diversæ religionis morumque diversorum animum angere et turbare possunt. Obeunda tamen erant muneris officia, ab illis quæ olim obieram diversa; novæ amicitiæ jungendæ; opportunitates aliæ cum ad vitam, tum ad litteras circumspiciendæ; plurima alia, quæ in patrem familias cadunt, prospicienda curanda molienda; quæ omnia impedimento fuerunt, quominus ad exteros amicos, in quorum numero Te vel inprimis censebam, scriberem, nec ea, quæ scribenda instituissem, ad finem perducerem. Ut autem in omni vita, ubi quid secus, ac vellem, accidisset, ad litterarum studia confugi, id etiam nunc ad ægritudinem leniendam efficacissimum remedium habui. Multa legi, multa enotavi, quæ fortasse aliquando lucem videbunt etc.

Pag. 52. lin. 7. Nondum me pœnitet eorum, quæ ante hos septem annos dixi in oratione, quam in quartis inventæ artis typographicæ solemnibus sæcularibus in urbe nostra celebratis habui. Repetam hic verba. „Sciant, si qui erunt, qui hæc mea verba aliquando lecturi sint, Augustum nostrum sic animum ad studia retulisse, ut ipse componeret libros beatissima ingenii ubertate miraque sermonis elegantia scriptos; quid? quod sæpenumero confessus sit felicissimas per vitam eas sibi visas esse horas, quas impenderit fingendo scribendo dictando; audiant una ita familiarem *Friderici Jacobsii* eum quæsivisse usum, ut ejus unice delectatus sit sermonibus, ejus potissimum in dictando usus sit opera. Quam raram ingeniosissimi principis cum eruditissimo homine conjunctionem quum consideramus cum animo, nescimus, utri potius gratulandum esse arbitremur, principine qui eum sibi elegerit amicum, an *Jacobsio*, qui talem nactus sit principem.“ Alia, quæ de universo litterarum apud nos statu eodem loco dixi, nolo nunc repetere, ne pro laudum nostrarum buccinatore habear. Sed quum exstiterint tamen, qui, quæ cives

Gothani cum vicinæ Vimariæ splendore quodam contendentes in litteris præstiterint, nostræ urbi obtrectaverint et de nobis detrahendi caussa cum contemptu retulerint, aliorum testimoniis uti liceat. *Bernhardy* igitur in censura Jacobsii opp. miscell., quæ prodiit in Jahrbb. für wissenschaftl. Krit. 1841. Juni. p. 941. sic: „Es ist nicht unbekannt, dass in der Kulturgeschichte Deutschlands seit etwa 1780 Gotha keine unbedeutende Stellung einnahm; aber das Stillleben der dortigen Verhältnisse macht es einerseits schwer, ihren wahren und reichen Gehalt in einem Gesammtbilde zusammenzufassen, während auf der andern Seite sich hieraus leicht erklären lässt, wie jene Stadt gegen das wetteifernde Weimar, dessen Glanz wesentlich in seinem Fürsten, in der Schaar erlesener Geister und den von ihnen hervorgerufenen litterärischen Wirkungen ruht, auffallend in Schatten getreten sei. In Gotha, scheint es, theilten sich die höheren Kreise und die rege bürgerliche Welt in den Ruhm, und zwar einer weder concentrirten, noch über ihre Gränzen hinaus weit verzweigten Thätigkeit, die wenigstens umfassender und nachhaltiger als in Weimar sich bewährte. Nirgend sind die Fürsten zurückgeblieben; ihre prächtigen Bücher- und Kunstsammlungen geben ihrem Sinne ein sprechendes Zeugniss; aber auch die Mitglieder des Hofes waren in jedem Ausdruck der feinern Bildung einheimisch..... Vor allem fesselt uns die reine Liebe zur Wissenschaft und Bildung, welche vornehme Männer mit den Fachgelehrten theilen. Ebenso wenig dürfen wir das Gothaer Gymnasium verschweigen, in Betreff dessen hier das Wort von Michaelis hinreichen mag, dass dieses mit zwei anderen thüringischen Schulen grösseres als manche Universität geleistet habe. Weiter die örtlichen Momente zu verfolgen, liegt unserm Zwecke fern; es genügt die Geist und Herz erfrischenden Einflüsse, welche die Nähe so mannichfaltiger Kräfte üben musste, für das Leben von Jacobs als eine Gunst des Geschickes zu bezeichnen.“ — Mit besonderer Beziehung auf das harte Urtheil eines geachteten Gelehrten sagt *Jacob* im Intelligenzblatt zur Hall. Litt.-Zeit. 1847. Nro. 41. p. 331: „Wenn *Gervinus* sagt: „„Gotha, wo sich Joh. Fr. Schmidt, Gotter, Manso,

Jacobs, Schatz, Reichard und andre (Rud. Zach. Becker, Salzmann, Weishaupt, Löffler, von Zach, — später von Schlotheim, von Bridel, von Lindenau, Encke, von Hoff, Stieler, Döring, Lenz, Kaltwasser, Galletti) zusammenfanden, ward nur ein Sammelplatz vieler Mittelmässigkeiten, wie es leider in Sachsen (?) später und früher der Fall gewesen ist““, — so mag das dreist und kühn von Manchen gefunden werden, wir meinen aber, dass Gervinus — was ihm auch sonst begegnet sein soll — im zu stolzen Richten und Absprechen die harmlose und doch im Stillen so wirksame Beschäftigung einer Anzahl gelehrter und gebildeter Leute gänzlich verkannt hat.“

Pag. 51. lin. 12. *Laberii* verbis in sua ipse caussa usus est Jacobsius. Vid. Personal. p. 63. et vit. ab ipso script. in *Hofmanni* libro pag. 16.

Ib. lin. 17. Cfr. *Person.* p. 76.

Pag. 55. lin. 14. Nam pietatem quoque parentibus quodammodo deberi et insitam ab iis institutione potissimum confirmari statuebat. Omnino severiori illi legi a patribus traditæ ita adhæsit, ut non omnia quæ de rebus divinis præciperentur, rationibus et argumentis demonstrari posse putaret, sed ut fidei quoque aliquas in iis esse partes vellet. Quo mihi videtur id consecutus esse, ut non solum ipse, quum graves fortunæ casus experiretur, haberet adminiculum quoddam, ad quod anniteretur, sed ut aliis quoque veræ virtutis idoneus existeret et efficax magister. Sed fuit tamen, ubi ab aliis non recte se intellectum esse doleret. Sic quæ de hominum pravitate quadam, majorum vitiis ad nos propagata disseruit (in Verm. Schrift. Vol. VI. p. 195 seqq.), ea non sic accipi voluit, quasi pravis cupiditatibus nasceremur homines, aut ob quoddam proavorum peccatum natura nostra vitiosa esset facta, sed magnam tamen esse contendit parentum nostrorum vim in fingendis naturæ quibus uteremur instrumentis. Hanc veram *Jacobsii* esse mentem, jam ex eo apparet, quod quum de vitiosa illa, quæ a parentibus traderetur, natura disputaret, morborum mentionem fecit, qui per successiones quasdam traduntur. Cæterum ut intelligatur, quid veteres, qui in ea quoque re incorrupto usi sunt judicio, statue-

rint, apponere juvat *Senecæ* locum (epist. 94, 54), quem afferre oblitus est Jacobsius. „In singulis, inquit, vitia populorum sunt, quia illa populus dedit. .... Erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci; supervenerunt, ingesta sunt. .... Nulli nos vitio natura conciliat, illa integros ac liberos genuit."

Pag. 55. lin. 21. Ex lectoribus nullum futurum esse confido, quin intimo animo commoveatur, quum ipsa Jacobsii verba (in Autobiogr. p. 27.) legerit: Indem ich hier den Bericht über die vorzüglichsten Schicksale meines Lebens endige, wendet sich mein Herz zu Gott für das viele Gute, das mir auf meiner langen Laufbahn zu Theil geworden ist; für die Gesundheit, die ich bis jetzt genossen habe und die mir erlaubt, meine Geschäfte, wie sonst, abzuwarten; für die Freude, die mir meine Kinder und Enkel machen; für das Wohlwollen so vieler nahen und fernen Freunde; für die Huld der Fürsten endlich, denen zu dienen ich die Ehre gehabt habe und noch habe. *Nicht weniger aber auch für das Maass der Leiden, die mir seine Vorsehung zugemessen hat, und die sich immer bald mehr, bald weniger zu meinem Besten gewendet haben.* Mögen alle diejenigen, von denen mir Gutes zu Theil worden ist, und die noch nicht in die Wohnungen der Seligen eingegangen sind, wenn ihnen diese Blätter zu Gesichte kommen, den Ausdruck der Dankbarkeit darin erkennen, die nicht erkalten wird, bis mein Herz in Asche zerfällt.

Pag. 56. lin. 5. Per *Passovium* id factum. Vid. *Passow*'s Leben, herausgegeb. von *Wachler* (Breslau 1839), 2te Hälfte, p. 290. — Ob hanc animi pietatem etiam *Siebelisio* gratissimus erat *Jacobsius*, teste *Ameis.* in Sieb. Leben p. 67. *Jacobsium* nemini neque pietate neque humanitate cedere ipse Siebelis professus est in *Academ.* I. p. XXXIII. — Cæterum, quod tam laudabile in Jacobsio habemus pietatis studium, aluit id et confirmavit veterum quoque scriptorum lectione. Quod pulcherrime scripsisse legimus *Fridericum Gronovium* ad *Nicol. Heinsium* (Syllog. epist. Tom. III. p. 3. cfr. Klotz Opusc. p. 225) se a prima ætate in lectione veterum id potissimum habuisse, ut sui mores emendarentur, hoc *Jacobsium* quoque secutum esse patet.

Ib. lin. 12. Cfr. Autobiogr. p. 22 in *Hofmann*'s Lebensbeschr.

berühmter Humanisten, ubi hæc leguntur: Die Tochter eines meiner verstorbenen Münchener Freunde sprach vor Kurzem auf einer Reise bei mir ein, um mir, wie sie sagte, zu danken, dass sie so glücklich in ihrer Ehe und in ihrem Hause sei. „Ich bin keine gelehrte Frau,“ fuhr sie fort, „aber ich lese gern etwas, das mir zu Herzen geht. So hab' ich Ihre Schriften gelesen, und mir Mühe gegeben, mich darnach zu bilden.“ Treuherzige Aeusserungen dieser Art lohnen einem Schriftsteller, der das Gute will, mehr als aller Prunk lobender Beurtheilungen.

Pag. 57. lin. 5. Honorificentissimis utique conditionibus Jacobsio hanc provinciam per Heerenium oblatam fuisse satis constat; id, opinor, paucis modo innotuit, quod Heynius ipse Jacobsium successorem sibi destinaverat. In litteris ab Heynio ad Jacobsium scriptis d. 6 Aug. 1807 hæc legi: Mein Wunsch war immer, Sie in Gotha so lange fixirt zu wissen, bis Sie einst hier mein Nachfolger werden könnten; denn dazu hatte ich Sie längst in petto bestimmt.

Ib. lin. 12. Lege *Personal.* pag. 10.

Ib. lin. 21. Vid. *Personal.* p. 14. Epist. ad Dœring. p. 257. (in Dœr. Opusc.)

Ib. lin. 24. Cfr. *Personal.* p. 12. *Verm. Schrift.* Tom. I. p. 65.

Pag. 58. lin. 24. Vid. *Personal.* p. 52. *Autobiogr.* apud Hofmann. pag. 14.

Pag. 59. lin. 8. Quod consilium habuerit in Anthologia Palatina et edenda et divo principi inscribenda, cognoscere juvat ex iis, quæ in præfat. ad Anth. Pal. Vol. I. pag. IX. ipse scripsit. „In patriam restitutus, inquit, consilium, quod nunquam prorsus abjeceram, denuo repetere cœpi. Et monebat me, ut id effectum darem, locus ipse, in quo sæpissime cum divo principe, qui fere quotidie bibliothecam publicam invisere ibique commorari solebat, cum de litteris omnibus, tum de anthologia sermonem contuleram, ipsique parietes hortari videbantur, ut quod vivente illo res et tempora prohibuerant, id divis defuncti manibus præstarem. Quare nulla mora interposita, alacri animo telam exorsam pertexere institui.“

Pag. 59. lin. 11. Sunt *Ruhnkenii* de Hemsterhusio verba (Opusc. I. p. 278), quæ, quod mirifice in Jacobsium quadrant, immutata transtuli.

Pag. 60. lin. 14. Vid. *Personal.* pag. 267. *Verm. Schriften,* Vol. VI. p. XVII.

Ib. lin. 20. Vid. *Personal.* p. 89.

Pag. 61. lin. 13. Lege *Personal.* p. 137, 557.

Ib. lin. 17. Vid. *Personal.* p. 566.

Pag. 62. lin. 7. Lege *Personal.* p. 19.

Ib. lin. 12. Cfr. quæ ibidem leguntur pag. 335 — 347.

Ib. lin. 20. Cfr. epist. ad Kries. p. 180.

Pag. 63. lin. 20. Apponam *Senecæ* (ep. 94, 42) verba: „Hoc tibi in conversatione virorum sapientium eveniet, non deprehendes quemadmodum aut quando tibi prosit; profuisse deprehendes.“ — *Jacobsii* sermones quam suaves et jucundi fuerint, quantumque iis qui eorum facultatem haberent profuerint, quum alii plurimi grato animo recordabuntur, tum præclarus testis est *Dübnerus* in præfat. ad Babrii fabulas, quem locum supra exscripsimus. — Idem *Dübnerus* gratissimum semper Jacobsio præstitit animum et amoris plenissimas ad eum dedit litteras, quas invicem ille lubentissime accepit. Habeant hic lectores exemplum litterarum, quibus Jacobsio Dübnerus gratulatus est diem natalem anno 1845. „Dieses Jahr, für welches ich ganz andere Hoffnungen nährte, kann ich zur Feier Ihres theuern Festes nur meine herzlichsten Glückwünsche darbringen und die Thränen der Rührung, ohne welche Niemand ein so schönes Leben betrachten kann, geschmückt durch den seltensten Verein aller Eigenschaften, die Verehrung und Liebe einflössen. Welchem Deutschen sind nicht die hochherzigen Worte theuer und gegenwärtig, die Sie bei der Fremdherrschaft an die Jünglinge und Männer richteten? welcher gesunde Geist fühlt sich nicht wohl und erbaut in *dem* protestantischen Element, welches *Sie* uns vorführen? welche hohe und auf die allgemeine Bildung wirksame Seite des Alterthums haben Sie nicht dem grossen Publicum aufgeschlossen und durch die Art Ihrer Auffassung

und Darstellung ins allgemeine Bewusstsein gebracht? ohne von Ihrer ausserordentlichen Wirksamkeit in der eigentlichen Philologie und für die Schulen aller Länder zu reden. Sowohl der Umfang dieser Thätigkeit als die Mannichfaltigkeit der Richtungen, in denen Sie sich geäussert, wird Vielen, die nicht das Glück gehabt haben, Sie zu kennen und zu hören, schwer begreiflich machen, wie ein einziger Geist diese so vielartigen Früchte getragen. Aber gerade dieser Drang der Energie, der sie hervorgebracht, diese Freude im Reichthum der Production, darf jetzt nicht Ihre Tage verbittern: nachdem Sie mehr geleistet haben als fast irgend Jemand, und besonders mehr als man auch von dem begabtesten pro virili fordern dürfte, ist es natürlich und schön, dass Sie sich völlig dem ruhigen Genusse und Bewusstsein des vielen Gethanen hingeben, und darüber ja keine unangenehme Gefühle hegen, dass die mehr als sechzigjährige Thätigkeit in den höchsten Dingen nun eine Ruhe verlangt, *die* heilige Pflicht ist und *die* in den Augen jedes Ihrer zahlreichen Verehrer einem langen Triumphe gleich ist. Mögen unsere allerheissesten Wünsche und Gebete ihn noch weithin ausdehnen unter Milderung der körperlichen Beschwerden!“

Pag. 65. lin. 10. Hoc quoque malum, quamquam molestissimum sibi esse dicebat, tamen ita tulit, ut ne leporem quidem in jocando deponeret. Sic *Schellingio* aliquando ex ipso quærenti, quomodo se haberet, quo tempore linguam et manus admodum habebat impeditas, ita respondere memini, male, inquit, me habeo; iis membris me castigat Deus, quibus maxime quam diu vixi peccavi, lingua et manu, illa quod multa incogitanter locutus sum, hac quod multa temere feci.

Ib. lin. 24. *Sen.* Epist. 82. — Sæpe quum *Jacobsium* inviserem, quod quum ipsi non liceret ad me venire, ter minimum per hebdomadem facere consueram, memor eram vocis, quam *Licinius* moribundus misisse fertur; me jam, inquit, non eundem, sed umbram nomenque relictum videtis, vires corporis afflictæ, sensus aurium hebes, memoria labat vigorque animi obtusus. Lege narrationem apud *Liv.* 5, 18.

Pag. 66. lin. 5. Sunt versus si non veteris, at elegantis tamen poetæ, qui *Cornelii Galli* nomen præ se fert.

Ib. lin. 17. Ultima verba desumta sunt ex *Plin.* Epist. 2, 1, quibus ipse *Jacobsius*, de alio quidem ille loquens usus est in Vol. VII. Oper. miscell. p. 590. — Haud exiguam apud lectores gratiam me initurum esse spero, si cum iis communicavero locum ex oratione, qua *Ed. Jacobi*, celsissimi ducis nostri a sacris orator defuncti manibus parentavit. „Weit über Gotha's, über Deutschlands Marken hinaus, überall hin, soweit die Gränzen der Geisteskultur gerückt sind über das Erdenrund, wird die Kunde dieses Todes erschallen, und wird das Gedächtniss des Seins und Wirkens unseres abgeschiedenen Freundes erneuern und seinen Ruhm aufleuchten lassen in frischem Glanze. Also hat es ein Friedrich Jacobs verdient. Gross an Verstand, reich an Wissen, grösser und reicher am Herzen, ein Meister der Wissenschaft, ein feiner Kenner des Schönen, ein edler Character, im Umgange mit Höheren voll Würde, gegen den Geringsten voll freundlicher Milde, ein liebender Gatte, ein zärtlicher Vater, ein treuer Freund, ein Muster der Nachahmung als Diener des Staates, als Bürger des Vaterlandes, von makelloser Treue, von rastlosem Fleisse, ein *ganzer* Mensch. So war Friedrich Jacobs. So hat er gezeigt, zu welchem Ziele einen edlen Geist das rechte Studium des Alterthums führt, wenn es angehaucht wird vom Wesen der Anmuth und geadelt vom göttlichen Geiste des Christenthums. Sein grosses und reiches Wissen war kein todter Schatz, es hatte mit schöpferischem Athem sein ganzes Leben, sein Thun und Lassen durchdrungen und sein Wesen nach allen Seiten hin zu herrlicher Harmonie entwickelt, — es war kein todter Schatz, der nur für den engeren Kreis der Gelehrten Zinsen trug. Er verstand es zum Gemeingute zu machen, weil er der Welt goldene Früchte in silbernen Schaalen bot. (Spr. Salom. 25, 11.) Sein Wissen war zur Weisheit geworden. Darum fühlte derselbe Geist, der auf den Höhen der Wissenschaft sich bewegte, sich heimisch in der Unschuldswelt der Kindheit und wusste die zarten Töne im Heiligthume des Ge-

müthes zu wecken. Ueberall derselbe, er mochte aus den Tiefen der Wissenschaft reiche Aernten fördern, oder die Blüthen der Dichtkunst zum duftenden Kranze winden, er mochte die Jugend lehren, oder in der Noth des Vaterlandes die begeisterte Stimme erheben. Ueberall dieselbe Fülle des Geistes, dieselbe Kraft und Tiefe des Gefühles, dieselbe Reinheit der Gesinnung, dieselbe Treue, derselbe Ernst im Wirken und Schaffen. Und wie im Wirken, so hat er sich auch im Dulden bewährt, denn was Gott ihm auferlegt hat in schweren Prüfungen, das hat er getragen mit der Ergebung des Christen, mit der Fassung und Ruhe des Weisen.

So ist sein Bild; darum haben wir ihn geliebt, darum trauern wir jetzt."